

15587 23.  
IN NOMINE JESU  
DISPUTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA  
DE EO  
QVOD IVSTVM EST  
CIRCA TEMPE-  
STATES

<sup>Bon</sup>  
Sturm/ Donner- und Ungewittern

<sup>Quam</sup>  
DIVINO FAVENTE NUMINE  
*Ex Decreto & Auctoritate Inclytæ Facultatis Juridicæ*  
In Alma Jenensium Vniversitate

SVB PRÆSIDIO

*Magnifici Excellentissimi atque Consultissimi*

**DN. CHRISTIANI WILDVOGELII**

JCTI, SERENISSIMORVM DVCVM SAXO-VINARIENSIVM CONSILIARII  
AVLICI, CVRIÆ PROVINCIALIS, SCABINATVS ET FACVLTATIS  
IVRIDICÆ ASSESSORIS, PANDECTARVM PROF. PVBL.

ET COLLEGII IVRIDICI h. t. DECANI

*Dni. Patroni Præceptoris & Promotoris atatem devotè*

*Colendissimi*

Pro Summis in utroq; Jure Honoribus ac privilegiis Doctoralibus rite &  
legitime impetrandis

*publica cruditorum censura subijcit*

**VVILHELMVS PEVCHEN**

Stolperga Juliensis.

D. JUNII M. DC. XCVII.

JENÆ, Litteris Müllerianis.

221726

*Admodum Reverendo nec non Clarissimo*

VIRO

**DN. M. JOHANNI HENRICO  
THAMERO**

Serenissimi Ducis ab Holstein Ploen Concionatori Aulico,  
nec non Ecclesiae ad Mosam Trajectensis, quae invaria-  
tam profitetur Augustanam Confessionem, Pastori  
vigilantissimo & meritissimo.

Patrono ac Promotori suo quovis  
tempore venerando.

ut &

*Pracipuo ac Spectabili Viro*

**DN. JOH. HENRICO PEUCHEN**

Parenti omni filiali amore & obsequio  
nunquam non prosequendo,

*Hancce suam disputationem Inauguralem*

*D D D. offert*

**VVILHELM PEUCHEN.**



*Albstadt 1694*



## IN NOMINE DOMINI.

### THESIS I.



Mnia, quæ a Divino numine condita sunt, hominum causa procreata esse, ipsæ sacræ scripturæ nos abunde edocent. Postquam enim admirandum hujus mundi systema Deus ex nihilo efformaverat, & cuncta in illo sapientissimè disposuerat, demum hominem ex gleba terræ produxit, inque amplissimam hanc pariter ac splendidissimam introduxit domum, ut tanquam cunctarum rerum creatarum Dominus, illis non solum imperaret, sed & pro lubitu ad commodum uteretur: Quod perpendens secum Clemens V. Pontifex in Clement. unic. de reliq. & Vener. sanct. ita exclamat. *O Divini amoris immensitas, divina bonitatis superabundantia, divina affluentia largitatis! Dedit enim nobis Dominus omnia que subjecit sub pedibus nostris, & super universas terre creaturas contulit nobis dominij principatum.*

Neque terrenas saltem res & quas tellus progenerat, hominum usui destinatas esse putandum, sed coelestia quoque corpora inservire mortalium utilitati, quilibet agnoscere tenetur, dum sol calore suo membra nostra fovet: luna cum stellis ad generationem & incrementum animalium æque ac plantarum suum influxum præbet: pluvia tellurem humectat, & seminum frugumque progerminationem promovet: Ventus nocivos humores dissipat, ut hac ratione omnia ista hominum subjecta esse dominio asseri queat.

## TH. III.

Quid vero de noxiis animalibus, de infectis, herbis venenatis, aliisque id genus rebus, humano generi tantum non exitalibus, dicendum? Ecquis has Mortalium commodo procreatas esse affirmabit? Quis itidem tempestates, tonitrua, fulgura, grandines, queis non urbes tantum, sed & integræ sæpius evertuntur regiones, humano esse sub arbitrio statuet? Ast salva res est. Licet enim truces bestia homines lædant, licet infecta & venena multorum insidiantur vitæ; Haud tamen omni penitus destituuntur utilitate, cum bestiarum exuere feritatem, infectis suum adimere venenum, quin & nocentissima toxica in præstantissima convertere pharmaca ratio edocuerit humana. Et licet forte tempestates, atque ipsam naturam superantes casus, nil nisi calamitates inferre videantur; Attamen ex his ipsis divinam manifestari potentiam, justas ab impiis sumi pœnas, proborum confortari virtutes, atque sic mortalium gregi multa conferri commoda, vix ullus ambiget.

get. *Nam omnia fecit Deus, ut timeatur ab hominibus.*  
 ut Salomo inquit. *in Ecclesiast. cap. 3. v. 14.*

## TH. IV.

Digna hinc reputata fuerunt ejusmodi accidentia, in quibus prudentissimi legum latores curam suam exercerent. Nam multa speciatim de tempestatibus in ipso juris nostri corpore, de procellis item atque simili generis ingruentibus infortuniis, sancita reperiuntur, quæ propterea in unum quasi fasciculum ex largissima legum segete colligere, & brevibus collustrare, animum induximus, ita tamen, ut strictim saltem ista persequamur, & *quid circa Tempestates justum est*, juxta Digestorum seriem exponamus.

## TH. V.

Est autem *Tempestatas* nihil aliud, quam vehemens æris commotio, ex causis naturalibus suborta, procellas impetuosisimas, vel grandines, fulgura & tonitrua horrenda producens. Liceat nimirum nobis hac ratione describere Tempestatem, ut intelligatur saltem ejus natura, non ut accuratam definitionem ponamus, aut causas, tam remotas quam proximas, perscrutemur: Talia enim Philosophiæ Doctoribus, & naturalium rerum scriptoribus, jure meritoque relinquimus. Germanis dicitur *ein Sturm / Donner Wetter / oder Ungewitter*. Et locum quidem tempestatum, in quo hæ regimen suum exercent, esse sublimiorem mundi partem, quilibet novit. Quapropter etiam istæ ad mereora a Physicis referuntur, quæ *ὑψηλῶς ἐώρεται*, sive elevatione ita dicuntur, ut qua si sint sublimia, prout habet Seneca *lib. 2. quest. natural. cap. 1.* Ratione materiæ, & qua-

tenus vel rapido aëre constant, vel igne & flamma fuerent, vel congelatâ aquâ impetum faciunt, perinde ut Meteora ipsa, cujus sunt species, in aëreas, aqueas & ignitas commodè dividi possunt. Placet quoque Vlpiano Tempestates ratione loci dividere in *maritimas* & *terrestres* l. 6. §. 2. ff. si quis caut. in jud.

TH. VI.

Accipitur aliàs *Tempestas* nonnunquam pro Tempore, sive die. Quo sensu Cicer. d. orat. ait : *Qua tempestate Pœnus in Italiam venit.* Et in l. 6. C. Th. d. domest. illi, qui omni militia sue **TEMPESTATE** i. e. tempore, *sibi potius quam Reip. vixerunt*, abuti privilegio suo vetantur. Sic quoque Salust. in bell. Jugurth. *Ea tempestate*, scribit, *in exercitu nostro fuere complures novi & ignobiles.* Quin & *Tempestatis* vocabulum sæpius mediam significationem habet, & aëris atque temporis quandam constitutionem bonam designat. Ita enim Cæsar. lib. 4. d. bell. gall. *Nactus idoneam ad navigandum TEMPESTATEM, tertiâ ferè vigilia solvit.* Et Virgilius lib. 9. *Æneid.*

-- -- *Unde hæc tam clara repente Tempestas.*

Per Metaphoram deinde *Tempestas* pro ærumnis, calamitate & periculis ponitur. Quò pertinet, quod Impp. in l. un. C. Theod. *ne sine juss. princ. ne ulli judicum Proscriptionis TEMPESTATE percellere alios liceat*, severissimè prohibent. Hac figuratâ locutione Cicero frequens utitur : veluti *Orat. pro Planc. Qui hac populæ tempestate jactamur & fluctibus.* Et d. *Orator. lib. 1. Qui locus quietis & tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maxima molestiarum & turbulentissima*  
tempe

*tempestates extiterunt.* Cæterum absolutè posita vox *Tempeſtas*, procellam, turbinem, grandines & quemlibet inquietiorem cœli statum notat: nimirum, ut Pacuvii verbis loquitur Cicer. *lib. 3. d. orator.* quando

*Tenebrae conduplicantur, noctisque & nimbium occacat nigror.*

*Flamma inter nubes coruscat, cœlum tonitru contremitt.*

*Grando mixta imbri largifluo subita præcipitans cadit:*

*Undique omnes venti erumpunt, sævi existunt turbines.*

Ad Synonymiam denique spectat, quod *Tempeſtas* dicitur *cœlestis injuria* à Plin. *lib. 18. Hist. nat.* Ad epitheta refero, quod vocatur *Tempeſtas calamitosa*, in *l. 15. §. 2. ff. locat.*

TH. VII.

In consideratione autem ejus quod circa tempestates justum est, primo statim loco se nobis offert, quod Legibus XII. tabularum apud Romanos erat fancitum, & in Fragmentis, Corpori Juris a Dyonisio Gothofredo adjectis, legitur: *Sacerdotes cœli fulgura regionibus raris, (id est certis) temperant:* Item: *fulgura atque obstita pianto:* Persuasi nimirum erant isti gentiles, in sacerdotum potestate esse, tempestates arcere, ac nociva fulmina ab agris & possessionibus aliis, sive sacrificio sive precibus avertere: hinc ipsorum curæ speciatim lege publica committebatur, ut hæc probe observarent, & ne quid damni inde eveniret populo, præcaverent.

TH. VIII.

Qua occasione hic quæstio exurgit: utrum remediis quibusdam naturalibus tempestates abigi, aut dissipari valeant? Et an ejusmodi remediis uti, citra superstitionis notam sit licitum? Non desunt qui affirmativam defendunt, & cum tempestates quæ fulgure & tonitru terribiles sunt, ex causis naturalibus oriri certum sit, per alias causas naturales easdem destrui posse, firmiter sibi persuasum habent. Hunc in finem alii campanarum sonum adhibent, ut per illum nocivi humores in aere collecti discutiantur: Cujus superstitionis hinc inde monumenta exstant illustriam in ipsis campanis expressa, ut inter alia patet ex inscriptione campanæ majoris, quæ Hallæ Saxonum in turri S. Gerdrudis his verbis insignita, cernitur.

*O Sanna sona, dira tonitrua fuga,*

*Sis plebi salva, annorum macie fusa:*

vid. Gothofr. Olear. *Halygraph. part. 2. ad ann. 1484.* Alii majora tormenta bellica pulvere pyrio repleta explodunt, & hac quoque ratione tempestates propelli posse credunt: Alii & quidem pontificiæ religioni addicti exorcismum adhibent, quod tamen remedium naturalibus causis haud annumerandum venit, sed supernaturali quadam vi ad abigendas tempestates conducere putatur. Testimonium hujus rei elegans perhibet Joh. Weichard Valvasor in tractatu quem inscribit: *Ehre des Herzogthums Krain. tom. 1. lib. 3. p. 310.* ubi memorat quod in Ducatu Carniolæ tempestates admodum sint frequentes, & inhabitantibus maxime sit familiare, ut, quamprimum nubem obscuriorem,

sub-

suboriri cernunt, mox ad campanas templorum accurrant, easque magna vi exagitent. Quod si ne sic quidem tempestatem imminentem dispelli animadvertant, vocari in subsidium parochum, qui ante templum stans, nubes exorcismo ferire jubetur: quem ipsum tamen, omni licet operâ adhibitâ, quandoque vix a verberum grandine tutum se præstare a furibunda rusticorum plebecula, utpote quæ damnum, nimborum violentiâ agris illatum, magna ex parte istius imperitiæ imputat, quod nempe diris non satis efficacibus nubes incessere didicerit. Carinthiæ quoque Ducatum grandinum nimbis frequenter infestari, idem scribit Valvasor in *Der Land-Beschreibung des Herzogthums Kärndten*. Ad hos autem arcendos, solere incolas nubes obscuriores subortas bombardis majoribus, e montibus præsertim petere, comprobato per experientiam hoc ad eas dissipandas remedio: quem in finem quotannis certam pulveris pyrii quantitatem, sumptibus Statuum Provincialium incolis distribui solere, notat.

TH. IX.

Ad campanas quod attinet, earumque pulsationem, non improbat ritus iste a multis nostratium doctis pariter ac religiosis viris, vel quod per hanc agitationem atque sonitum editum, nubes commoveantur & dissipentur, vel quod hoc modo incolæ ad preces Deo fundendas incitentur. Nec enim campanis per Sacrificulum Papalem benedictis aut baptizatis, talem efficaciam inesse, ut solo istarum tinnitu Dæmones terreantur, & tonitrua abigantur, credendum; sed si quæ tempestates campanis pulsis cessasse compertum fuit,

haud quaquam illud aëneo huic instrumento, sed piorum suspiriis unice adscribendum erit. Quæ etiam est sententia Dn. Joh. Michael. Schvvimmeri, quam experientia confirmat in *physicalischen Lust. Fragen d. anno 1692. Mens. Sept. qu. 3.* ubi inter alia ita scribit: Da in der Gegend Döbritschen zwischen Weymar und Jena / einst eine große schwarze Wolcke sich zur Erden gebogen hatte / und jederman desselbē Bruchs mit großer Angst sich befürchtete / weil daraus das gänzliche Verderben an ganzer Gegend / mit Menschen / Vieh und Früchten jederman für Augen sahe / lautete man die Glocken in der ganzen Gegend / welches erbärmlich anzuhören war / da die Leuthe mit Thränen und ächzen zu den Kirchen lieffen / jung und alt / klein und groß / niemand blieb daheim / fielen in den Kirchen auff die Knie / und baten Gott umb Barmherzigkeit / umb Abwendung des gegenwertigen und wolverdienten Verderbens / da denn sich der Barmherzige Gott ließ erbitten / daß sich diese grausame und niedriggesenckte Wolcke wieder in die höhe zog / welches ich selbst mit Augen gesehen.

TH. X.

Ut ut autem in multis locis ubi purior Dei cultus viget, moris sit, ut hodiernum tempore coortæ tempestatis

- - - cum nubila venti

*Conglomerant, plenisque volunt insligere campis perniciem, ut Baptista Mantuanus canit, campanarum pulsū populus ad templum vocetur, & preces constituentur solennes præeunte parrocho; Nudam tamen*

ac solam companarum concitationem, quæ a Papicolis sub vana fiducia, ac si huic efficacia quædam supernaturalis insit, in provincias Saxonicas quondam introducta fuerat, merito prohibita fuit à gloriosissimæ memoriæ Electore Augusto in *Ordinat. provinc. d. ann. 1580. tit. 39. §. fin.* sequentibus verbis: **Sonderlich aber soll das aberglaubische und abgöttische Wetterlauten (der Ursach die Glocken im Babsthum mit lästerlichem Mißbrauch der Stiftung Christi getaufft worden/ daß sie die Krafft haben sollen/ den Hagel und schädliche Wetter abzuwenden:) wo es noch im brauch/ abgeschafft und nicht gestattet/ dagegen aber das Volk zur Buße/ und Christlichen eyfrigen Gebeth vermahnet werden/ dadurch der Zorn Gottes gestillet/ und solche Plagen abgewendet werden mögen.** Remotis igitur ejusmodi superstitionibus, optimè tolerari posse campanarum impulsum tempore tempestatum, Dietericus censet *part. 1. Conc. select. 5.* eum quidem in finem, ut homines illo medio noctu à somno excitentur, nec non ad preces admoneantur unanimia, timidi ad fiduciam in Deum erigantur ac simul solatio firmentur, cum sic norint, alios vigilare, & si quid periculi deprehendatur, ad futuros auxilium ferre paratos. Vid. Joh. Christian Reimann. *Dissert. d. Campan. Sect. 6. §. 3.*

## TH. XI.

A sacerdotibus ad Haruspices Romanorum delabimur, sive Augures. Hi Jovis optimi maximi Interpretes vocantur in Leg. XII. Tabb. ac propterea etiam interpretatio circa fulgura & tempestates istis erat commissa.

Tradebatur hæc ars & Haruspicina certis præceptis, atq; continebatur *libris*, qui *fulminales* ideo appellabantur, quorum & mentio fit apud Ciceronem *lib. 1. d. divinatio*. Ipsi quoque *Haruspices fulguratores* dicti. Speciatim verò duo fulminum genera Haruspices constituiebant; *privata*, quæ privatis: & *publica*, quæ Reip: aut Principi aliquid portenderent, sive denunciarent: videlicet si opera publica, ut palatium Principis, curia, gymnasium aut amphitheatrum esset tactum & degustatum. Porro cœli plagas diligenter observabant atque exindè iudicium ferebant. Cum enim à prima cœli parte fulmina venerint, & in eandem concesserint, summam felicitatem portendi putabant. Existimabant præterea non ultra decem annos portendere privata fulmina: publica non ultra trigessimum. Vid. *Plin. lib. 2. cap. 52. & 54. Juven. Satyr. 6.* Colligebant hinc indicia ex fulgure orta certis scripturis, easque Principi offerebant. Quem morem jam dum suo ævo permittit Constantinus Imperator, veluti patet ex *l. 1. C. Th. d. pagan.* cuius hæc sunt verba: *Si quid de Palatio nostro, aut ceteris operibus publicis degustatum fulgore esse constiterit, retento more veteris observantia, quid portendat, ab Haruspicibus requiratur, & diligentissimè scriptura collecta ad nostram scientiam referatur. Eam autem denuntiationem atque interpretationem, quæ de tactu Amphitheatri scripta est, de qua ad Heraclianum Tribunum & Magistrum officiorum scripseras, ad nos scias esse perlatam.* Mirum equidem nonnullis videtur, Constantinum M. qui per novennium jam fidem Christianam amplexus fuerat, eamque in alios propagaverat, Haruspicinæ huic gentili adhuc indulgisse; quin  
& ex

& ex eodem hoc rescripto Baronius, contra omnium veterum scriptorum fidem, colligere præsumit, Constantinum M. à Christiana fide & religione iterum descivisse & ad relictam avitam superstitionem rediisse, atq; adeò hac occasione Gentiles elatos in Christianos insolenter egisse. Veruntamen optimo jure Constantinum defendit & ab imputato crimine Apostasias liberat Jacob. Gothofredus in *Comment. ad l. 1. C. Th.* dum eundem hac lege haruspicinam minimè probare, sed illam, cui tum abolendæ par non erat, permittere saltè ostendit. Id quod etiam apparet ex *l. 1. C. Th. d. malef.* ubi *superstitioni sue servire cupientibus publicè ritum proprium exercere permittit.* Nec non ex *l. 2. C. d. t.* ubi ita ad populum scribit: *Qui vero id vobis existimatis conducere, adite aras publicas atque delubra: & consuetudinis vestre celebrate solennia. Nec enim prohibemus præterita usurpationis officia libera luce tractari.* Quæ sanè verba gloriosissimi & verè augusti Imperatoris fidem animumque ab omni superstitione aversum vel semotum apertè satis arguunt.

TH XII.

Eadem mens hodiernum piis ac fide Christianâ imbutis manet. Licet enim benignitas Numinis, seu quod meretur homines, seu quod tangatur eorum affectione, per omina & signa prodere amet, quæ impendunt. Ammian Marcell. *lib. 21.* Neque talia spernenda prorsus esse, eadem rationes evincant, quæ afferuntur pro cognitione Dei & testimonio ex libro naturæ. *Rom. 1. Act. 17. Psal. 19.* ac proinde cum reverentia & admiratione Dei miserentis & minitantis suscipi debeant: Mens tamen ab omni consternatione & superstitione est evacuanda. Becman. *Linea doctr. mo-*

*rat. cap. 8. §. 6. Add. Balduin. d. cas. cons. lib. 3. cap. 6. cas. 8.* In bonam igitur potius partem ejusmodi prodigia convertere, quam superstitionem quandam & vanum timorem inde concipere aliisque incutere, convenit. Id quod à quodam Pompejano quondam Romæ factum, ubi cum Victoriæ aram fulmen tetigisset, & simulacro alas decussisset, ille sic omen exposuit:

*Roma potens, alis cur stat Victoria lapsis?*

*Urbem ne valeat deseruisse tuam.*

Notante Freinshemio *ad Curt. lib. 4. cap. 2. & cap. 3.* Vel, ut versum istum recenset Jac. Gothofr. *ad l. 1. C. Th. d. pagan.*

*Roma caput rerum, nunquam tua gloria abibit.*

*Nam victrix Dea Te haud deseret involucris.*

Similem interpretationem, non sine vero & felicissimo eventu fecit, quicumque is fuerit, cum Berolini ann. M. DC LXXXVIII. d. 2. Sept. fulmen portam, cui à Friderico Wilhelmo Potentissimo Elector. Brandenburgico nomen inditum, feriisset, atque in Inscriptione ibidem posita, quæ ita se habebat:

FRIDERICVS WILHELMVS  
ELECTOR BRAND.  
FELIX INCLYT.

tria ista verba: FRIDERICVS. ELECTOR. FELIX. perstrinxisset: Mox enim prodigium hoc eleganti rhytmo ita exposuit Autor:

Ein Strahl berührte jüngst die eine von den  
Pforten

Und trass die Überschrift an Friedrich Will-  
helms Thor.

Der

Der Fürwitz ist bemüht ob den gestreiffen Worten:  
 Was aber stelt mā sich für frembde Deutung vor?  
 Der Held / dem dies geweiht / ist von der Welt ent-  
 wichen /

Drumb heyligt nun der Blitz dies sein Gedäch-  
 nis-mahl /

Und hat zu unserm Trost für igo unterstrichen  
 Was uns nach ihm verbleibt. O höchst gewünt-  
 schte Wahl.

Sein Friedrich / Ehre und Glück ist Uns  
 von Ihm verblieben.

Wer traut dem Himmel nicht der dieses unterschrieben?  
 TH. XIII.

Perspecto jam eo, quod ratione Personarum circa Tempestates jure proditum est, ad actiones & alios actus civiles, tam licitos, quam illicitos progredimur. Ubi primo loco in jus vocatio consideranda, quæ veteri jure privatâ peragebatur autoritate, ita, ut ipse, qui acturus erat, adversario sibi forte obvio, denunciaret, ut secum in jus veniret: qui vocatus, si protinus non sequeretur, nec fatisdaret judicio sisti, invitus obtorto collo in jus, h. e. ad Prætores duci & trahi poterat. *arg. l. 18. ff. d. in jus voc. l. 103. d. Reg. jur.* Liberabatur igitur in jus vocatus, si idonee, seu idoneis & locupletibus fidejussoribus fatisdaret, sive caveret *t. t. ff. in jus voc. ut leant.* Neque tamen stipulatio committebatur, sed excusabatur vocatus, si legitima ipsi obvenissent impedimenta, *l. 2. §. 1. & seqq. l. 4. l. 6. ff. si quis caut.* Inter impedimenta ista, nostratibus **Ehehafften** dicta, refertur, *si quis TEMPESTATE prohibitus se sistere non potest. l. 2. §. 3. ff. si quis*

*quis caut.* modo talis sit tempestas, quæ impedimento est itineri vel navigationi. *d. l. 2. §. 6.* Exemplum hujus casus exhibet Cicero *lib. 2. d. Invent.* de eo, qui hostias ad Sacrificium præbere sub capitali pœna tenebatur, & cum sacrificii dies instaret, subito tempestate obortâ transferre hostiam in urbem non poterat. Neque tamen hoc ita simpliciter accipiendum, sed requiritur præterea, ne culpa quædam imputari possit vocato, quod in tempestatem inciderit. Hinc Ulpianus in *cit. lege 2. §. 8. d. t.* scribit: *Si quis tamen, cum posset non incidere in TEMPESTATEM, si ante profectus esset, vel tempore opportuno navigasset, ipse se artaverit, numquid exceptio ei minime profit?* quod quidem, causa cognita, erit statuendum: nam neque sic artandus sit, ut possit ei dici, cur non multo ante profectus es, quam dies promissionis veniret? neque iterum permittendum ei, si quid sit, quodei imputetur, causari tempestatem: Quid enim, si quis, cum Romæ esset ipso tempore promissionis sistendi, nulla necessitate urgente, voluptatis causa in municipium profectus sit? nonne indignus est, cui hæc exceptio patrocinetur? Aut quid, si Tempestas quædam in mari fuit, terra autem iste potuit venire? æque dicendum, non semper ei exceptionem prodesse: nisi angustia non patiebantur terra iter metiri, vel circumire. Cæterum licet generalis conventio fuerit inita, ne ulla exceptio objiciatur, adhuc tamen tempestatum impedimentum allegari posse & sufficere ad excusationem, nisi specialiter causæ quædam exceptionum, quibus à promissore spontè renunciatum, expressæ sint, apparet ex *l. 4. §. 4. d. t.*

Extra satisfactionis istius casum, Judex pro lubitu dilationes concedere potest litigantibus, modò terminus à lege partibus non sit pro forma ac solennitate præfixus. *Auth. Hodie. C. d. appell.* sed ita tantum, ut regulariter seu ordinarie actus judicialis intra istum peragatur. *l. 1. C. d. fer.* Necessum tamen est, ut justa causa impetrandæ dilationis subsit; ad quam meritò Tempestatem referre licet, qua quis id, quod sibi incumbit, expedire prohibetur. *l. 36. ff. d. judic.* Add. Goth. *ad l. 1. C. ut lit. pend.*

TH. XV.

Instrumenta Reo ab actore edi debere, non solum illa, quibus actor contra reum usus est, sed etiam quæ huic ad excipiendum profunt, liquidum evadit ex *l. 8. l. 5. C. d. edend.* Quod si tamen instrumenta absque actoris culpa, vi majori, veluti Tempestate perdita fuerint, meritò is excusatur. Quem propterea casum sæpius juramento firmare tenetur, **daß er die gefoderten documenta nicht habe / noch solche gefährlicher Weise von Handen kommen lassen.** Carpzov. *Proc. T. 14. a. 4. n. 64.* Caterum, argentariis aliisque qui instrumentis suæ professionis instructi esse debent, absurdum est edere instrumenta, cum ipsi in ea causa sint, ut editio ab istis peti queat. *l. 6. § 9. ff. d. edend.* Si tamen naufragio aliave Tempestate rationes periisse probaverint, aliud erit dicendum, juxta *d. l. 6. §. ult.*

TH. XVI.

Advocatis pro operâ sua justum solvendum esse  
C hono-

honorarium, naturalis ratio suadet, atque datur hinc  
 ipsis actio pro salario, licet nihil, aut saltem in genere  
 & incertum quid fuerit promissum. *l. 1. §. 10. ff. d. var.  
 & extraord. cognit.* Quod si ipsis annum stipendium  
 constitutum, licet morte præventi negotium expedire  
 aut laborare non valuerint, totius tamen anni stipendi-  
 um rectè petunt. *l. 38. §. 1. ff. locat. l. 15. §. 1. C. d. advoc.  
 div. jud.* Idem ergò iudicium ferendum, si tempesta-  
 te cœlique injuriis impediti, aut parum aut nihil in su-  
 cepto labore perficere potuerint. Obtinet enim tunc  
 generalis ista regula, quam Paulus habet in *d. l. 38. §. 1.*  
 Advocati, si per eos non steterit, quominus causam a-  
 gant, honoraria reddere non debent. Vid. Gail. *1. Obs.  
 44. num. 12.* Carpzov. *p. 1. Const. 1. def. 34. & p. 2. C. 51.  
 def. 12. num. 4.*

§. XVII.

De negotiorum gestore notum est, quod is ad  
 culpam levisimam præstandam sit obstrictus *§. 1. I. in  
 f. d. Obl. quæ ex qs. contr. junct. §. 2. J. quib. mod. re  
 contr. obl. l. 24. C. d. usur. l. 6. §. f. ff. d. neg. gest.* Ad ca-  
 sum tamen fortuitum haud quaquam obligatur. *l. 22. ff.  
 d. neg. gest. & l. 22. C. eod.* Sequitur hinc, quod si quis  
 absentis & ignorantis agrum coluit, fruges verò tem-  
 pestate fuerint deperditæ, ita ut nulla utilitas ad domi-  
 num inde perveniat, posse nihilominus expensas actio-  
 ne negotiorum gestorum peti: sufficit enim, utiliter  
 gestum fuisse negotium, etsi illud effectum non habue-  
 rit. *l. 10. §. 1. ff. d. t.* Secus igitur se res habet, si quis  
 rem non necessariam, aut quæ oneratura est patremfam-  
 aderediatur, vel etiam novum negotium, quod non  
 sit

sit solitus absens facere, suscipiat. *l. 11. ff. eod.* ut enim eventum non spectamus, debet utiliter esse coeptum. *l. 10. in f. cit. tit.*

TH. XVIII.

Minoribus restitutionis beneficium indulgent leges, ita ut contra quemlibet contractum, in quo ob ætatis lubricitatem læsi sunt, istis succurratur ac gesta rescindantur, *t. t. ff. d. minor. & C. d. in integr. rest minor.* Necessum autem est, ut ob ætatem læsio contigerit, *l. 17. & l. 44. ff. d. t.* vel dolo adversarii, *l. 24. §. 1. & d. l. 44. eod.* Non igitur datur, si casu obveniat læsio, nec enim eventus damni restitutionem indulget, sed inconsulta facilitas, prout Jctus loquitur in *l. 11. §. 4. ff. d. minor.* Ex quo sequitur, quod minori non subveniatur, si tempestate forte perierit domus empta, aut segetes in agro coemtæ grandine fuerint corruptæ; nam quod ita fato contingit, cuius patrifamilias, quamvis diligentissimo, contingere potest, juxta assertum Ulpiani *d. l. 11. §. 5. eod.*

TH. XIX.

Sicuti minoribus ob ætatis imbecillitatem, ita majoribus XXV. annis ex qualibet justa causa, quæ impedimentum actui infert, restitutio in integrum conceditur, *t. t. ff. ex quib. caus. maj.* Sive causa ista dependeat ab animo, ut ignorantia facti, *l. 2. ff. d. rest. in integr.* sive ab adversario proveniat, *l. 26. §. 4. in f. ff. ex quib. caus.* sive etiam ex fato resultet. Vid. Sfort. *Ordus. d. restit. qv. 13. art. 1. & seqq.* Hinc tutò inferre licet, si Tempestate quis impeditus ad domicilium suum pervenire non potuerit, atque interim præscriptio

contra istum sit completa, restitutionem locum habere : cum & *hiemis*, i. e. tempestatis inclementioris, & cæterorum, quæ casu contingunt, ratio haberi soleat, secundum Ulpianum in *l. 38. §. fin. ff. ex quib. caus. maj.*

TH. XX.

Contra Nautas, caupones & stabularios jure Civili peculiare proditum est Edictum prætorium, quo actio conceditur ei, qui rem in navem, cauponam vel stabulum immisit aut intulit, contra exercitorem istius navis, cauponæ vel stabuli, qui eas recepit, ut salvas restituat, & omne damnum cujuslibet culpâ contingens præstet. *l. 1. §. seqq. ff. naut. caup. stabul.* Obstrictus igitur est exercitor ad quodlibet damnum rebus illatum præstandum, sive levi, sive levissima culpâ fuerit datum *l. 3. §. 1. cod.* sive ipse, sive alius illud dederit, *l. 1. §. ult. l. 6. §. 1. d. t.* Excipitur tamen vis major, ut si tempestate aut naufragio quid contigerit, per expressum textum in *l. 3. §. 1. in f. d. t. l. un. §. 4. ff. furt. adv. naut. Peck. ad l. 3. §. 1. vers. mirantur. d. t.* Hahn: *ad Wesenb. h. t. n. 5.* modo exercitor casu rem periisse, aut damno fatali quid contigisse probet, *l. 2. C. d. naufrag.* Quod si tamen vector dicat illum casum culpa nautæ evenisse, ipse hoc, qui asserit, probare debet. *l. 2. §. 3. ff. d. probat. Strach. d. naut. part. 2. num. 6. Stypman. d. jur. marit. §. naut. p. 3. cap. 5. num. 350.*

TH. XXI.

Cum verò in Naufragio, quod vi Tempestatum, contingit, culpa nautarum sæpius intervenire soleat, imò nonnunquam etiam naufragium accidisse per mendanda-

dacium falsò afferatur, hinc prudentissimè Impp. Valentin. Valens & Gratian. in l. 2. C. d. naufrag. constituunt, ut, si quis navicularius naufragium se sustinuisse, adfirmet, provinciæ Judicem adire festinet, ac probet apud eum testibus eventum. Porro quoque in l. 3. C. d. r. fanciunt, ut, quotiens obruta vel submersa fluctibus navi examen adhibetur competentis judicis, duorum vel trium quæstione habita, cæteri ab hujusmodi nexu liberentur. Si verò universos *violentia Tempestatis* obruerit, ne veritas lateat, à libèris nautarum sive magistrorum super eorum quæri debeat interitu, quos navicularius naufragio periisse contendit. Ne tamen naufragii periculum incurrat imprudens navicularius, tempus navigationis certum definire placuit Augustissimis Impp. in d. l. 3. C. d. naufr. nimirum ut ex Kalendis April. in diem Kalendarum Octobris susceptionis necessitas servetur, adeoque non hyeme, sed ætate subducantur merces, cum caloris & æstatis beneficio vis ventorum mitigetur. Vid. Goth. ad d. l. 3. n. 66. Unde in l. 36. §. 1. ff. d. Rei vind. Gajus definit, quod is, qui navem ab altero petitam adverso tempore navigatum misit, si ea naufragio perempta fuerit, culpæ reus habeatur.

TH. XXII.

Tribuit quidem aliàs locus contractûs forum, ut reus ibidem conveniri possit, ubi contraxit cum altero. l. 19. §. 1. 2. l. 20. l. 45. §. 4. ff. d. judic. nec refert, secundum jus civile, an in isto loco reperiatur, nec ne. arg. d. l. 19. §. 1. Nov. 69. c. 4. §. 1. Moribus tamen & juxta juris Canon. dispositionem, in cap. 1. §. contrabentes. d. for. compet. in 6. non nisi ibidem inveniatur. Ast non fundatur forum,

si quis emit ab eo, qui *παροπλεῖ*, i.e. præternavigat: *l. 19. §. 1. ff. d. t.* Idem ergo dicendum nemo ambiget, si quis tempestate maritima ad littus appulsus aut naufragio e-jectus, contraheret. Cessat enim sic ratio tacitè se ad illud forum, ubi actum est, obligandi, & durissimum esset, quotquot locis quis navigans, vel inter faciens delatus est, tot locis se defendi, inquit Vlpianus *d. l. 19. §. 2. in f. ff. d. judic.*

TH. XXIII.

In hereditatis petitione si culpâ malæ fidei possessoris res fuerit perempta, aut deterior reddita, illum propterea teneri, patet ex *l. 31. §. 3. ff. d. her. pet.* Ast si casus fortuitus acciderit, simplex malæ fidei possessor rei peremptæ nomine conveniri nequit, cum casum avertere non potuerit *l. 20. §. 6. d. t. l. 36. §. 3. eod.* Post judicium tamen acceptum de casu tenetur, *l. 40. pr. d. t. l. 14. §. 11. ff. d. dol. mal.* Fur autem, raptor ac similis improbus m. f. possessor semper & quovis tempore casu fortuito contingente, ad æstimationem rei ac interesse solvendum est obstrictus, cum semper moram facere intelligatur, *l. 8. §. 1. ff. d. cond. furt. l. fin. C. eod. B. Struv. Ex. 10. th. 60.* Hinc, si tempestate cœlique ira, ut fulgure aut ventorum violentiâ res hereditariæ perierint, nemo dubitat, quin ejusmodi malæ fidei possessor nihilominus conveniri possit, ac si res adhuc extaret, non quidem actione ista reali, cum objectum desit, sed personali, quæ inesse videtur actioni hereditatis petitoriae: ob has enim præstationes personales illa mixta dicitur. *l. 7. C. d. petit. hered. D. Struv. Ex. 10. th. 45.* Tenetur præterea etiam bonæ fidei possessor ob talem for-  
tuiti-

tuitum tempestatis casum post acceptum iudicium e-  
 venientem, si actor probaverit, se rem, modo post acce-  
 ptum iudicium restituta fuisset, statim voluisse atque  
 potuisse distrahere. *l. 15. §. fin. ff. d. R. V.* Eadem, quæ  
 de hereditatis petitione dicta sunt, in Rei quoque vir-  
 dicatione obtinent, ut nimirum b. f. possessor casum,  
 non præstet. *l. 16. pr. ff. d. t.*

TH. XXIV.

In Emphyteusi consideratur Jus emphyteuticum,  
 quod ex parte Emphyteutæ consistit in jure quamlibet  
 commoditatem ac utilitatem ex re emphyteutica  
 percipiendi. *l. 1. pr. §. 1. si ager vectigal.* atque  
 insuper in participatione de ipsâ rei proprietate *l. 1. §. 2.*  
*C. d. jur. emphyt.* Ex parte verò domini emphyteuseos  
 in dominio directo, ex quo fuit facultas exigendi & re-  
 cipiendi canonem annuum ex contractu emphyteutico  
 debitum, **den Erbzins.** *l. 3. C. eod. Carpz. p. 2. Const. 38.*  
*d. 17.* Quæritur hinc, si Emphyteuta ob Tempestatis  
 injuriam nullos plane fructus nullamve utilitatem ex frun-  
 do emphyteutico perceperit, an nihilominus canonem  
 seu pensionem annuam promissam solvere teneatur?  
 an verò remissionem pensionis petere & impetere pos-  
 sit? Quod negatur, cum canon iste haud sit propor-  
 tionatus fructibus, nec exigatur ob fructus perceptos,  
 sed in recognitionem domini directi à domino Emphy-  
 teuseos sibi reservati, *l. 2. §. l. fin. C. d. jur. emph. Gail. l. 2.*  
*Obs. 23. num. 23. Jul. Clar. l. 4. sent. §. emphyteusis. qv. 8.*  
*num. 7.* Quod si tamen Emphyteuta ad magnum ca-  
 nonem ac ipsis fructibus æqualem solvendum sit adstri-  
 ctus, tunc si tempestas tantam stragem ediderit, ut nul-  
 la pla-

la plane utilitas ex fundo emphyteutico percipi queat, rectè remissionem canonis flagitari, imò & impetrari, docet Carpz. *lib. 1. Resp. 91.*

TH. XXV.

Progredimur ad usumfructum, & quem effectum in hoc Tempestas edat, spectamus. Ubi primò notamus, ad usufructuarium solos pertinere fructus rei in usufructum concessæ, quos quidem suos facit perceptione, sive separatione à solo. *l. 13. ff. quib. mod. ususfr. amitt. l. 28. ff. d. usur.* Quod verò pro fructu non reputatur, ejus commodo non cedit. Adeoque rectè ex Labeonis sententia definit Ulpianus in *l. 12. ff. d. usufr. arboribus vi ventorum & tempestate dejectis usque ad usum suum & villæ posse usufructuarium ferre: nec materiâ eum pro ligno usurum, si habeat, unde utatur ligno: Alioquin & si totus ager hunc casum passus sit, omnes arbores auferret fructuarius. Deinde ex hoc ipso principio colligitur, quod arbores istæ vi tempestatis dejectæ, à fructuario non sit substituendæ, prout decidit Paulus in *l. 59. ff. eod.* Cum enim harum arborum tempestate everfarum commodum non sentiat usufructuarius, æquissimum erit, ut harum ratione ipsi onus nullum imponatur. Nec casum fortuitum is præstare obstrictus est, sed culpam tantum. Cœpoll. *d. S. R. P. tit. d. montibus. n. 9.* In locum tamen demortuarum ut ipse novas substituat, requiritur in *l. 18. ff. d. t.* Denique notamus, quod cum arbores sic tempestate dejectæ ad proprietarium pertineant, debere istum easdem tollere, ne incommodior sit usufructus vel iter *l. 19. §. 1. eod.* Vid. Weizenegger. *d. Servit. Diff. 2. cap.**

Cæterum quod Jus Foresti attinet, notandum, ejusmodi arbores procellarum impetu dejectas aut evulsas, **die Wind-Brüche und Wind-Fälle** / nonnullis in locis commodo cedere ministrorum forestalium, **denen Förstern und Jägern**; aliis in provinciis eas saltem illis relinquere, quæ in confiniis fractæ reperiuntur. Sæpius etiam pro certa pecuniæ summa arbores istas ab his ministris redimi solere. Vid. Wehner. *Obs. pract. verb. Windsfälle.*

TH. XXVI.

Ob damnum rebus alienis illatum jure civili constituta est actio Legis Aquiliæ, contra eum, cujus culpa damnum alteri obvenit. §. 9. 14. *J. ad L. Aquil. §. 19. I. d. action.* Licet levissima tantum culpa intervenerit. *l. 44. ff. ad L. Aquil.* Quod si tamen nulla culpa fuerit commissa, sed damnum contigerit casu fortuito, non agi potest ex hac Lege. §. 3. *et seqq. J. eod.* Exemplum hujus suppeditat Vlpianus in *l. 29. §. 3. ff. d. t. de Tempestate*, atque *si VI VENTORVM navis impulsæ esset in funes anchorarum alterius, et nauta funes præcidissent, si nullo alio modo, nisi præcisus funibus explicare se potuit, nullam actionem dandam esse scribit.* Similem casum Paulus decidit in *l. 30. §. 3. eod.* de eo, qui in stipulam suam vel spinam comburendæ ejus causa ignem immisit, & ulterius evagatus ignis alienam segetem vel vineam læserit, quod si enim *is omnia, quæ oportuit, observavit, vel subita VIS VENTI longius ignem produxit, eum carere culpa ait.*

TH. XXVII.

Sub ludis prohibitis, de quibus in *tit. ff. d. aleator.*

D

agi

agitur, comprehendi quoque immodicas sponſiones, DD. communiter aſſerunt. *Mev. ad Jus Lubec. lib. 3. tit. 9. art. 3. n. 41.* Reliquas verò, quæ de rebus fiunt honeſtis, & quarum dubius eſt eventus, permitti conſtat ex *l. 17. §. ult. d. Praſcr. verb. l. 108. ff. d. V. O.* Illud verò non omni caret controverſia, ſi duo ſponſionem ineant de futuro quodam facto, e. g. Navem non eſſe redituram ex Asia, aut Titium ad nuptias non venturum, atq; tunc ob Tempeſtatem obortã eventus iſte ita ſequatur, an ſponſio ſit commiſſa, ita ut alter præmium promiſſum petere valeat? Videtur quidem dicendum, tempeſtatem ali- umque caſum fortuitum hinc non conſiderari, cum po- tius mens & intentio ſpondentis ſit reſpicienda, quippe qui de voluntate & propoſito Titii, aut exercitoris na- vis ſaltem locutus fuit. Attamen in contrarium facit, quod in ſponſionibus de ipſo futuro facto ſermo conci- piatur, non habito reſpectu ad ſolam voluntatem alterius, adeoq; etiam fortuitus caſus, qualis eſt Tempeſtas, inclu- datur. vid. *Befold. Theſ. præct. verb. Wetten.* ubi quæſti- onem hanc proponit quidem, non tamen decidit.

## TH. XXVIII.

Juramentum in judicio litigantibus imponitur præſtandum, & quidem aut à partibus invicem exi- gitur aut ab ipſo iudice. Sæpius tamen etiam promiſ- ſionibus & contractibus majoris firmitatis cauſa adjici ſolet. Illud vocatur *aſſertorium*, hoc *promiſſorium*. Atque hoc ultimum omnibus accedere poteſt negotiis licitis ac honeſtis, & firmat eadem ita, ut licet defe- ctus aliquis à jure civili requiſitus ſubſit, nihilominus ſub- ſiſtat contractus & inde condictio ex moribus competat.

B. Str.

B. Struv. *Ex. 17. th. 25.* Non tamen confestim perjurus dicendus is est, qui juratam ejusmodi promissionem non servat, sed, cum juramenta strictæ sint interpretationis, commodè illa admittunt latiores explicationes, & in primis subintelligitur illa conditio ; *Si Deo id placuerit, aut casus humanus non intervenerit.* Atque hinc is, qui Tempestatis violentiâ promissionem suam implere prohibetur, pro perjuro haberi oppidò nequit, cum hic casus semper exceptus intelligatur, licet de eo nihil expressè fuerit dictum. *Ames. d. jur. consc. lib. 4. c. 22. qv. 8. n. 25.* Dn. Müller *in not. ad Struv. Ex. 17. th. pn. lit. e.*

TH. XXIX.

Circa conditionem, quæ instituitur ob causam dati, gravis controversia inter Dd. agitur, utrum hæc actio competat, si ob casum fortuitum, nulla accedente morâ illius, qui vicissim aliquid dare vel facere promissit, ille promissa implere prohibeatur? Accuratissimè rem totam per certas distinctiones expedit Lauterbach *ad ff. tit. d. cond. caus. dat. §. 1. num. 3.* Hahn. *ad Wesenb. eod. tit. n. 2.* Franzk. *d. tit. n. 10. seqq.* B. Struv. *Ex. 25. th. 15. seq.* Considerando nim. an circa personam, quæ factum promissit, quid evenerit: & dari tunc conditionem, constat ex *l. 5. ff. d. cond. caus. dat.* ubi casus proponitur de eo, qui pecuniam acceperat, ut Capuam iret, deinde parato ad proficiscendum, conditio temporis, *Tempestatis* forte, impedimento fuerat, quo minus proficisceretur. Licet enim videri posset, repetitionem cessare, cum per eum, qui promissit, non steterit: Cum tamen hoc casu præstatio facti non simpliciter impediat, ac præterea ei, qui dedit, nondum præstito facto,

D. 2

lice-

liceat pœnitere , ideò dari condictionem , decidit Jctus  
*d. l. 5.* Si verò circa factum ipsum promissum casus ac-  
 cidat , & accipiens casu contingente damnum incurre-  
 ret , si datum ab eo repetere liceret , denegari condicti-  
 onem æquitas suadet , secus si accipiens esset in lucro.  
 Optimè hoc illustratur exemplo Tempestatis , quod pro-  
 ponit Jct. in *l. 15. §. 6. ff. locat. cond.* cum enim *quidam*  
*nave* tempestatis injuria *amissa vecturam* , quam pro  
*mutua* , i. e. in antecessum , *aceperat* , *repeteret* , *rescri-*  
*ptum est ab Antonino Augusto* , non immerito Procurato-  
 rem *Cæsaris* ab eo *vecturam repetere* , cum munere *vehen-*  
*di functus non sit.* Alium casum exhibet Javolenus in  
*l. 59. ff. d. t. de Marcio* , architecto vel fabro , qui *domum*  
*faciendum à Flacco* , fundi domino , *conduxerat* : *operis*  
*enim parte effectâ terra motu* , & sic tempestate , *con-*  
*cussum erat edificium.* Quærebatur , quid juris ? *Mas-*  
*surius Sabinus* respondit , *si vi naturali* , aut tempestatis  
 vehementia *hoc acciderit* , *Flacci* , id est domini fundi ,  
*esse periculum.* Idem vult Florentinus in *l. 36. ff. eod. tit.*  
 qui operis , quod aversione locatum est , donec adpro-  
 betur , periculum conductoris esse , si tamen vi majore ,  
*veluti tempestate aut ventorum violentia* opus intercide-  
 rit , antequam adprobaretur , ad locatoris damnum id  
 pertinere , asserit.

TH. XXX.

De Commodatario , qui rem alienam gratis uten-  
 dam accepit , traditur in *l. 5. §. 2. ff. commod. §. 2. I. quib.*  
*mod. re contr. obl.* quod omnia damna quæ ipsius culpâ ,  
 non latâ tantum & levi , sed & levissima data sunt , re-  
 sarcire cogatur. Controvertitur autem , an culpam  
 com-

committat ac propterea teneatur is, qui *tempestatis*, naufragii aut ruinae tempore, cum res commodatas salvas facere potuerit, suas praetulit? Quod communiter affirmant DD. per *l. 5. §. 4. in f. ff. commod.* Neque interesse existimant, utrum res propria sit pretiosior, commodata verò vilior, quam limitationem aliàs defendere conatur Glossa, Bart. Salycet. & alii in *d. l. 5.* Licet enim non invidendum sit domino, quod res suas pretiosiores interitui eripiat, id tamen non vergere debet in commodantis praerudicium, sed is nihilominus ob res suas viliores neglectas satisfactionem exigere potest. Struv. *ad tit. commod. n. 12. in fin.* Licet dissentiat. Hahn. *ad Wesenb. b. t. num. 8.* Bonacin. *d. contract. disp. 3. qu. 1. punct. 6. num. 22.*

TH. XXXI.

In pignoris contractu adjici nonnunquam solet pactum antichreticum, quo convenitur, ut liceat creditori uti pignore, loco pecuniae creditae. *l. 11. §. 1. ff. d. pign.* Quod si factum fuerit, fructus ex pignore percepti rediguntur ad legitimum usurarum modum, ita ut id, in quo fructus excedunt usuras, imputetur sorti, *arg. l. 17. C. d. usuris.* modo fructus annui sint certi. Carpz. *p. 2. C. 30. def. 40.* Si enim proventus sunt incerti, modus usurarum tam accuratè observari nequit. Id. *d. l. def. 41.* Richter. *Dec. 74. n. 4.* Sequitur hinc, quod ultimo hoc casu, si aëris intemperie aut *tempestatum* injuriâ creditor nullos planè percipiat fructus, haud possit is usurarum vice aliquid exigere, cum sicuti solitis uberiores fructus ipsi non extorquentur, ita vice versâ si pauciores aut nulli planè nascantur, is meritò quoque hoc damnum

ferre debeat. *l. fin. §. pn. C. d. furt.* prætereà incertum fructuum præventum debitor promisit, nec ultrà id ad quicquã usurarum nomine sese obligavit. Mevius *diffuss. levam. inop. debit. cap. 4. sect. 11. n. 40.* Cæterum ipsum pignus, si tempestatũ violentiã fuerit deperditum, debitori perit, atq; nihilominus personali actione à Creditore conveniri potest. *l. 8. & 9. C. d. pigner. act.* Hinc Paulus in *l. 30. ff. eod.* de casu tractat, quo ratiario quis pecuniam credidit, & cum ad diem præfinitum pecunia non solvèretur, debitor concessit ut ratis retineatur, ratim autem vis fluminis, à tempestate fortè aucti, abstulit, atque decidit ibidem JCt9, damnum esse debitoris, quippe qui vim majorem non præstat *l. 13. in fin. ff. eod. tit.*

§. XXXII.

Tempestatum quam maximè in contributione, quæ fit ex L. Rhodia, ratio haberi debet. Hac quippe lege cautum erat, ut, si tempestate urgente merces levandæ navis causa, ad avertendum commune periculum, in mare fuerint projectæ, omnium illorum, quorum res per hunc jactum fuerint servatæ, contributione, damnum eorum, quorum res ita jactæ sunt, resarciatur, *l. 1. l. 2. ff. ad L. Rhod. d. jact.* ita quidem, ut prius æstimentur res amissæ, earumque pretium, quanti emtæ sunt, *l. 2. §. 4. d. t.* deinde res quæ per jactum servatæ sunt, & quanti hæ venire possint, post demum ita rebus æstimatis & in unum collatis, damnum uni vel pluribus illatum secundum proportionem geometricam, & pro rata illius, quod quisque in navi habuit, communicetur, atque omnium contributione sarciatur, quod pro omnibus datum est. *d. l. 2. pr. eod.* Requiritur autem, ut justus nau-

naufragii metus subsit, atque ob hunc jactus fiat, veluti si gravis procella tam vehementer navim jactet, ut illa adversus fluctuum insultus exsurgere nequeat, nisi jactu levetur. *Vid. Jona cap. 1. & Act. cap. 27.* vel quando, uti Virgilius ejusmodi tempestatem depingit *Lib. 1. Æneid.*

*Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis  
Africus & vastos volvunt ad littora fluctus.  
Eripiunt subito nubes cœlumque diemque  
Teucrorum ex oculis: Ponto nox incubat atra,  
Intonuere poli & crebris micat ignibus æther,  
Præsentemque viris intentant omnia mortem.*

Tali enim in casu ipsa necessitas jactum imperare videtur: unde in *l. 2. §. 2. ad L. Rhod.* dicitur, quod *tempestate ortâ necessario jactura facta* fuerit. Quod si tamen navis aut merces per jactum servatæ haud fuerint, sed aliàs quid casu acciderit, veluti *si navis adversa tempestate depressa, ictu fulminis deustis armamentis, & arbore, & antenna deterior fiat, non debere eos, quorum merces in navi sunt, nautæ pro damno quid conferre,* Hermogenianus scribit in *l. 6. ff. d. t.* quemadmodum, si faber incidem aut malleum fregerit, hoc non imputaretur ei, qui opus locavit, prout Paulus ait in *l. 2. §. 1. eod.*

TH. XXXIII.

Peculium filii ac servi, perinde ac hereditatem, *l. 178. §. 1. d. V. S.* recipere incrementum & decrementum, juris est notissimi: est enim peculium universitas quædam, varii plerumq; generis rebus constans. *l. 56. d. R. V. l. 40. l. 32. §. ult.*

§. ult. d. pecul. Quando igitur pater aut dominus ex contractu filii aut servi sui actione de peculio convenitur, in tantum tenetur ille, quantum vires peculii patiuntur, eoque enim creditur probare contractum à filio servoque celebratum. l. 40. d. t. Aliud obtinet, si de in rem verso pater aut dominus conveniatur, tunc enim eatenus condemnatur, quatenus ex contractu acceptum in eius negotium est impensum. §. 4. I. quod cum eo qui in al. pot. l. 3. §. 4. ff. d. in rem vers. Quid verò, si aliquid utiliter eum in finem fuerit comparatum, ut verteretur, casu autem utilitas interversa, v. g. pecunia accepta, aut jumenta comparata tempestate perierint. Nihilominus durat actio contra patrem dominumve, l. 3. §. 7. 8. l. 17. ff. d. t. Sufficit enim utiliter negotium esse coeptum, prout supra de negotiorum gestione dictum fuit. l. 10. l. 12. & l. 22. ff. d. neg. gest.

TH. XXXIV.

Peculiare edictum Prætor proposuit contra eos, qui rem Tempestate aut alia quadam necessitate improvisâ obortâ depositam dolosè inficiantur aut restituere detrectant: si quid enim horum factum fuerit actionem, in duplum adversus fraudulentum istum depositarium constituit l. 1. §. 1. 2. & l. 18. ff. depos. Vocatur ejusmodi depositum à Juris Interpretibus *depositum miserabile*, atque tunc contrahitur, quando inopinatum aliquod periculum imminet, ex tempestate fortassis, aut terræmotu, incendio itidem ac tumultu aliave quadam subitanea causa, quæ terrorem incutere valet. Justissimam autem hoc edictum rationem habere Ulpianus scribit in l. 1. §. 4. ff. d. t. *Quippe cum quis fidem elegit,*  
nec

*nec depositum redditur , contentus debet esse simplex :  
cum vero extante necessitate deponat , crescit perfidia  
crimen : Et publica utilitas coercenda est , vindican-  
de reip. causa.*

TH. XXXV.

Mandatarius obligat susceptum mandatum , non ad levem tantum culpam præstandam , sed & ad exactis-  
simam in negotio suscepto adhibendam diligentiam ,  
cum de hac fidem dare amico videatur , ejus negotia  
curanda suscipiens. *l. 13. l. 21. C. mand. Carpz. p. 2. C. 20.  
d. II. n. 6. Cothm. vol. 1. Resp. 44. n. 18. seqq.* Hanc di-  
ligentiam si non adhibuerit , tenetur actione mandati  
directa , ad damnum resarciendum , quod istius culpa  
mandanti est illatum. *l. 8. §. 6. ff. mand.* Ipse vero vi-  
cissim mandantem actione mandati contraria conveni-  
re potest , ut is omne id præstet , quod mandati occa-  
sione sibi abest , *l. 12. §. 9. ff. d. t.* Quod si tamen casu  
fortuito quid mandatario accidat , illud mandanti im-  
putari nequit , veluti si *tempestate* in terra , aut *naufra-  
gio* in mari res suas amiserit , secundum id , quod Pau-  
lus pronunciat in *l. 26. §. 6. ff. d. t.* etiamsi fortè man-  
datarius illud damnum percepturus non fuisset , si man-  
datum non suscepisset. Goth. *ad d. l. n. 21.* Ast verò , hanc  
juris dispositionem de curialitate non observari , id est ,  
à bono & honesto mandatore negligi , Accursius putat ,  
*ad d. l. 26. §. 6.* quæ sententia placet quoque laudato  
Gothofr. *ad eand. l. n. 21.* Marquard. *d. mercat. p. 2. c. 5.  
n. 56.* Cæterum si procurator mittatur *tempore tempe-  
statis* aut jam exortæ , aut certè imminentis , damnum  
per tempestatem illatum ipsi esse reparandum , rectè

colligitur, ex his, quæ tradit Mozz. *d. contr. tit. d. natu-  
ral. mand. n. 24.* Hahn. *ad Wesenb. h. t. n. 10. in f.* quan-  
doquidem hic casus ipsi mandato imputatur, seu non  
accidit extra causam mandati.

TH. XXXVI.

Alia est conditio Societatis, in qua quodlibet da-  
mnum fatale in rebus societati illatis, omnibus sociis est  
commune, adeoque æqualiter ferri, nec uni sociorum,  
qui fortè administravit res communes, imputari pot-  
est. Hinc in *l. 52. §. 4. ff. pro soc.* \*Ulpianus scribit: Si  
duo negotiationem exercent, & *tempestate* seu *navi-  
fragio* aliquid ex mercibus perit, cum non aliàs mer-  
ces, quàm navi, solerent advehi, damnum ambos sen-  
tire. Vid. Molin. *d. 7. §. 7. disp. 549. n. 9.* Mautio *d. tac.  
& amb. conv. lib. 6. tit. 21. n. 14.* Quod & tunc observa-  
tur, si alter Sociorum pecuniam tantum, alter verò o-  
peram contulit, damnum enim casu fatali pecuniæ il-  
latum, ad utrumque pertinet. Treutl. *disp. ad b. t. tb.  
9. lit. a.* Et licet hanc sententiam convellere conetur  
Bach. *ad Treutl. d. l.* distinctione tamen rem conficit  
Brunnem. *ad d. l. 52. §. 4.* ita, ut si in forte socii con-  
stituti sint, periculum pecuniæ sit utriusque, non si in  
solo interfurio.

TH. XXXVII.

Emtionis venditionis contractum nudo consensu  
purè expresse perfici, adeoque alterutram partem resi-  
lire à conventionem non posse, sed statim obligationem  
ad implendum contractum produci, vulgo notum est.  
*pr. l. d. empt. vend. l. 2. §. 1. ff. eod.* Ex quo infertur,  
quod perfecta emptione venditione, omne damnum  
rei

rei venditæ casu licet fortuito, veluti *tempestate*, cœli-  
que injuria quavis, illatum, ad emptorem spectet, eti-  
amsi traditio nondum subsecuta, & venditor adhuc sit  
Dominus. §. 3. *J. d. empt. vend. l. 7. §. 8. ff. d. peric. &*  
*comm. rei vend.* Habetur verò imperfecta emptio eti-  
am illa, cujus obligatio sub tacita conditione est sus-  
pensa, *l. 34. §. 5. ff. d. contr. empt.* ut si res quæ ponde-  
re aut mensura determinari solet, ad mensuram & pon-  
dus nondum sit redacta, vel etiam qualitas justa non-  
dum sit probata, *l. 4. pr. §. 1. ff. d. t.* Hisce igitur ca-  
sibus, si antequam contractus perficiatur, fatale quid  
in re vendenda accidat, v. g. vina *tempestate* mucor-  
em vel acorem contrahant, aut lana, aromata similis-  
que generis materiæ corrumpantur, damnum vendito-  
ris est, quippe qui adhuc dominus mansit, *l. 53. §. 1. 7.*  
*d. contr. empt. l. 2. C. d. peric. & comm. rei vend.* nisi em-  
ptor die præstituto, vel postquam ipsi denunciatum est,  
ut tolleret, in mora fuerit, *arg. l. 1. §. 3. l. 2. §. 1. ff. d.*  
*peric. & com.*

TH. XXXVIII.

De futuris rebus aliàs quæstio movetur, utrum  
contractum emptionis venditionis ingrediantur? Id  
quod communiter affirmatur, *l. 8. ff. d. contr. empt.*  
Venditio verò harum rerum, veluti fructuum nascituro-  
rum, sub conditione facta intelligitur, si nascantur, aut  
existant, adeoque si nihil nascatur, emptio erit nulla,  
*d. l. 8. l. 39. d. t.* Aliter se res habet, si frumenta, quæ  
in herbis sunt, **die Saat** vendatur, tunc enim, nisi  
interposito pacto aliud placuerit, periculum spectabit  
ad emptorem. Ita enim JCtus in *l. 78. §. ult. ff. d. contr.*

*empt. Frumenta qua in herbis erant, cum vendidisses, dixisti, te si quid vi, aut TEMPESTATE factum esset, prestaturum: ea frumenta nives corruerunt: Si immoderatè & contra consuetudinem TEMPESTATIS, agi tecum ex empto poterit.*

TH. XXX.IX.

Cæterum, si res quædam ematur, quæ emptionis tempore jam perierat, nihil venisse, sed pecuniam solutam condici posse, ex *l. 57. ff. d. contrab. empt.* constat. Id quod ad Tempestates Papinianus extendit, in *l. 58. ff. d. t.* atque arboribus *vento dejectis*, emptionem fundi non videri contractam, asserit, si modò contemplatione illarum arborum (veluti oliveti) fundus comparabatur. Idem sentiendum de casu, quo quis emit fructus fundi tusculani, ignorans quod heri *vi tempestatis* omnes erant devastati, vel major eorum pars. Emptionem enim hanc non valere, deficiente contractus materia substantiali, nemo negabit. Accedit, quod casus contractum præcesserit, adeoque periculum meritò sit venditoris *l. 9. ff. d. contr. empt. l. 57. & 58. eod.*

TH. XL.

In Locationis conductionis contractu Tempestatum quam maximè haberi rationē, praxis quotidiana demonstrat. Cum enim hic contractus ob usum rei pro certâ mercede percipiendum ineatur, & verò usus iste tempestatis ingruentis calamitate sæpius intervertatur, spontè sequitur, mercedem promissam tunc exigere non posse. Contingit autem illud, partim si rei damnum quoddam fuerit illatum, veluti si chasinate fundus aut fulmine domus conducta perierit, *l. 9. §. 1. loc. cond.* partim si fructus  
ledan-

lædantur, aut vi quadam majori corrumpantur, ut nulla utilitas ad conductorem redundare queat. Hinc in *l. 15. §. 2. d. t.* Ulpianus ita scribit: *Si VIS TEMPESTATIS CALAMITOSÆ contigerit, an locator conductori aliquid præstare debeat, videamus?* Servius omnem vim, cui resisti non potest, dominum colono præstare debere, ait. Quam JCTi sententiam Imp. Alexander in *l. 8. C. d. loc. & cond.* his verbis comprobat. *Si qua LVE TEMPESTATIS, vel alio cæli vitio damna accidissent, rationem tui juxta bonam fidem haberi recte postulabis.* Idem firmat Gajus in *l. 25. §. 6. ff. eod. VIS MAIOR,* inquit, *quam Græci εὐὴ βίαι, id est, vim divinam appellant, non debet conductori damnosa esse, si plus quam tolerabile est, læsi fuerint fructus.* Quo tamen in casu remissio mercedis ita est facienda, ut si quidem nullos planè fructus perceperit conductor, nihil quoque mercedis nomine is præstet; Si aliquid fructuum collegerit, pro rata horum ex æquo & bono de mercede statuatur, *d. l. 15. §. 2. cit. tit.* Nec enim ferenda est sententia illorum, qui tunc demum remittendam esse pensionem ob sterilitatem putant, si ne dimidium quidem mercedis ex fructibus, deductâ omni impensâ & operâ, confici possit, prout latius deducit B. Struv. *Synt. Jur. Civ. Ex. 24. t. l. 16.* Facit huc elegans textus in *l. 23. in f. ff. R. I.* ubi JCTus ait: *Animalium casus, mortes, quæque sine culpa accidunt, fugæ servorum, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum à nullo præstantur.* Add. Menoch. *Cons. 27. n. 16.* Covarr. *pract. quest. t. 2. c. 30. n. 1.*

Illud facile conceditur, posse conductorem illud ex tempestate ortum damnum pacto in se recipere. *l. 9. §. 2. ff. loc. cond.* veluti sæpius hanc clausulam literis contractus locati conducti adjici videmus, **daß der Pächter allen Hagel- und Wetter-Schaden über sich genommen.** Quo tamen in loco quæritur, an tempestatis speciatim mentio fieri debeat, ad hunc effectum, ut sterilitatem tempestate contingentem conductor ferre teneatur? Quod negatur, cum sufficiat, si is omne periculum ac damnum casu fortuito emergens generatim suscipiat, sub hoc enim genere, *Tempestas* tanquam species, comprehensa censetur, *arg. l. 9. §. 2. d. t. l. 7. §. 15. ff. d. pact.* Utut Gail. 2. *Obs. 23. n. 17. seqq.* dissentiat.

TH. XLII.

Ulterius disquiri solet: An is, qui casum ejusmodi Tempestatis fortuitum in se recepit, cogatur etiam ferre insolitum? Quod affirmatur, quia ipsi casus fortuiti ferè sunt insoliti, *l. 15. §. 2. ff. d. t.* Vid. Carpzov. *p. 2. C. 26. def. 18.* Franzk. *ad tit. ff. locat. n. 127.* Fachin. *lib. 1. contr. cap. 86.* Christin. *Vol. 3. dec. 111.* Grav. *lib. 2. concl. 23. consid. 4.* Illud tamen certum est, quod DD. notant, damnum in fructibus ex tempestate cœlique injuria contingens, etiam absque peculiari pacto ad conductorem pertinere, si sterilitas in isto loco ex eadem causa contingere soleat, idque conductor sciat; JCIus enim in *l. 15. §. 2. in fin. ff. loc. cond.* *Si nihil extra consuetudinem acciderit, damnum coloni esse,* ait. Ex quo rectè Cotta in *Memorabil. verb. Conductor.* infert, propter grandines & tempestates nunquam remitti pen-  
sio-

tionem in his locis, ubi grando fructus semper verberare solita fuit.

## TH. XLIII.

Extra hunc pacti conventi casum, damnum in locatione conductione per tempestatem illatum, tunc quoque reparandum est, si uni aut alteri contrahentium culpa imputari queat. Hinc Ulpianus in *l. 13. §. ff. d. t.* *Si magister navis sine gubernatore in flumen navem immiserit, & TEMPESTATE orta temperare non potuerit, & navem perdidit, vectores habebunt adversus eum ex locato actionem.*

## TH. XLIV.

Quod porrò ad operarum conductionem attinet, tempestatis quoque eatenus habenda erit ratio, quatenus per istam operas locans impeditus fuit, ne eas præstet, tunc enim ipsi merces promissa haud debetur. Id quod JCTus innuit in *l. 15. §. 6. ff. loc. cond.* quando nave per *Tempestatem* amissâ vecturam, seu mercedem, vecturæ, repeti posse asserit, eò quod nauta vehendi munere functus non fuit. Quod si tamen circa opus susceptum in ipsa materia *per tempestatem* damnum accidat, nihilominus pro præstita opera dominus mercedem solvere tenetur, nam ut Africanus in *l. 33. ff. d. t.* scribit, si insulam ædicandam locasses, & solum corruisset, nihilominus teneberis. Id quod & Javolenus confirmat in *l. 59. ff. eod.* atque si domus extruenda fuerit conducta, operis verò parte effectâ *terra motu* concussum erat ædificium, domini esse periculum, ait. Cum quo facit Labeo in *l. fin. b. t.* qui, si rivum, quem quis faciendum conduxerat & fecerat, antequam pro-  
bare

baretur, *Labes*, id est cœli tempestatumque violentia corruperit, locatoris esse periculum, enunciat.

TH. XLV.

A contractibus nominatis ad innominatos progredimur. Et de æstimatorio quidem contractu ex *l. 17. §. 1. ff. d. æstim. act.* notamus distinctionem, ratione damni, quod casu fortuito in re æstimatò vendenda data contingit, ut si quis se ultro obtulerit & rogaverit, quò sibi res ita daretur, periculum istius sit, quoniam sic simpliciter se obligasse & periculum suscepisse censetur; Si verò dominus alterum rogaverit, ut vendendam rem ita accipiat, periculum sit domini: Si denique neuter alterum rogaverit, sed mutuò consenserint, itidem periculum ad dominum spectet. Idem ergò ad Tempestatem applicare licebit, ità ut si ejus violentia damnum rei æstimatò data illatum fuerit, nec ulla accipientis culpa concurrat, liberatus sit accipiens à restitutione rei ac præstatione damni. Vid. *Carpz. lib. 1. Resp. 106. Treutl. Vol. 1. Disp. 30. t. b. 2. lit. g.*

TH. XLVI.

Quid circa contractus reliquos innominatos juris sit, si Tempestatis ingruente casu quodam promissum præstari nequeat, suprà demonstratum fuit, quando de conditione indebiti sermo factus est. Unicus tamen Assurationis contractus adhuc considerationem meretur, quippe qui ut plurimum Tempestatis intuitu iniri solet, inter eum qui res suas aut merces aliò transvehi desiderat, & inter eum qui periculum istarum rerum pro certo præmio suscipit. Promittere nimirum solet Assu-  
rans

rans per literas, quas *Pollice*, à *pollicendo* forte, vocant, se incidentia omnia pericula & casus fortuitos in se recipere, ab eo tempore quo navis solvit, vel affectura instituta fuit: tutum scil. & indemnem fore eum, quem affecuravit, ab aqua, igne, *Tempestatibus*, amicis, inimicis, arrestis regum, principum, Dynastarum, rerumpubl. à negligentia nautarum aliisque similibus casibus. Vid. Schrag. *Diff. d. affecur. th. 32.* Quod si igitur merces illæ per mare transportandæ *tempestate* adversâ perierint, is, cui præmium pro suscepto periculo datum est, æstimationem earum restituere tenetur, quemadmodum è contrario is, qui præmium promisit, rebus salvis præstitis id exsolvere obligatus est. Si tamen præmium initio non sit promissum, & casus adversus *Tempestate* contigerit, per quem res interierunt, non poterit is qui periculum suscepit, eò quod nihil ipsi sit datum, pœnitere, cum pœnitentiæ re non amplius integrâ locus haud detur. Vid. B. Struv. *Ex. 25. th. 48.*

## Th. XLVII.

In Evictionis præstatione, damnum per *Tempestatem* rei illatum equidem nihil operatur, neque actionem ad evictionem tribuit. Ast verò si ex alio capite possessori fundus evincatur, qui jam antè *Tempestatem* violentiâ diminutus fuit, utputa si flumen partem aliquam fundi abstulerit, pro quota parte tunc evictio præstanda sit, disquirat Papinianus in l. 64. ff. d. evict. Atque ait, si ex mille jugeribus traditis ducenta flumen (*Tempestate* ingruente auctum) abstulit, si postea pro indiviso ducenta (jugera) evincantur, dupla stipulatio

pro parte quinta, (& sic ad integra ducenta jugera), non quarta prestabitur: Si totus fundus, quem flumen deminuerat evictus sit, jure non deminuetur evictionis obligatio: nam & è contrario non augetur quantitas evictionis, si res melior fuerit effecta. Quæ tamen juris dispositio solum eo in casu obtinet, quando stipulatione evictio fuit promissa, & evictionis præstatio hac actione stricti juris petatur: quod si enim actione ex empto agatur, & res ita diminuta fuerit, damnum emptoris erit, juxta l. 70. ff. d. t.

Th. XLVIII.

Usurarum præstatio fundatur aut in pacto, aut in mora, in contractibus nim. bonæ fidei l. 32. §. 2. ff. d. usur. l. 13. §. 20. l. 41. ff. d. act. empt. Atq; hæc mora non saltem ex persona committitur, quando quis opportuno loco & tempore, ab illo, cui debet, interpellatus non solvit: sed etiam ex ipsa re, quando nim. certus dies conventioni adjectus est, quo non solvens et si non facta fuerit interpellatio, constituitur in mora, arg. l. 12. C. d. contr. stip. l. 9. prid. usur. Non tamen committitur mora, si nihil imputari queat debitori, atque is vi majori, fortè Tempestate fuerit impeditus, aut alia præstationis difficultas emerferit. arg. l. 3, §. 4. ff. d. act. empt. l. 41. §. f. ff. d. fideic. libert.

Th. XLIX.

Haud parum similitudinis cum Usuris habent annui redditus, sive illi in pecuniâ sive in frumento consistant: in eo tamen differunt ab Usuris, quod hæc accessorium sint fortis & quasi ejusdem fructus, annui verò redditus habeantur pro re principali & primaria, quæ pro certa mercede & pretio comparatur. Carpz. p. 3, C. 24. def.

*def. 16. Gail. lib. 2. obs. 7.* Ex quò inferitur, quod licet fructus ejusmodi annuatim ex agro percipiendi *Tempestate* aut alio quodam infortunio depereant, emptor non possit horum reparationem à venditore petere, siquidem emptor istorum reddituum dominus factus est fortis, quam annuatim percipere habet, *Rauchb. p. 1. qu. 19.* adeoque meritò damnum in hac contingens ipsi cedit, *l. qua fortuitis. l. post pignus. C. d. pign. act. Carpzov. lib. 1. Resp. 107. n. 15. seqq. § p. 2. dec. 117. n. 3. Mev. p. 4. dec. 402. Menoch. lib. 3. pres. 107. n. 15. Franzk. lib. 1. Resol. 2. Gail. lib. 2. obs. 7. Brunnem. ad l. 7. ff. d. peric. § comm. n. 2. Tabor. d. alter. Tant. p. 3. art. 10. n. 7.* In tantum, ut nec contrarium pactum habeatur validum. *Parlad. rer. quot. cap. 3. n. 53. Frantzck. lib. 1. Res. 5.* Utut frustra differat *Covarruv. lib. 3. var. resol. 7.*

*Th. L.*  
 A contractibus progredimur ad Sponsalia, & quæ horum occasione constitui solent, Dotes. Circa has disquiri vulgò solet, utrum maritus sit & efficiatur dominus dotis? Quod communiter affirmatur, cum maritus ex re dotali percipiat fructus, *l. 7. pr. ff. d. jur. dot. l. 10. C. eod.* possitque jubere servum dotalem hereditatem, in qua institutus est heres, adire, *l. 58. sol. matr. nec non res dotationales mobiles alienare. pr. §. quib. alien. lic. vel non.* Sed hoc ita accipiendum est, ut dominium mariti insinat saltem qualitati dotali, & quatenus res ex causà dotis marito fuit tradita, extra istum enim respectum & qualitatem, dominium est mulieris, quæ dotem constituit, *l. 75. ff. d. jur. dot. l. 7. ff. d. pact. dot.* Ex quo sequitur, quod commoda, quæ non ut fructus

ex re dotali proveniunt, non spectent ad maritum, sed uxoris emolumento cedant. Quò pertinet, quod Ulpianus habet in *l. 7. §. 12 ff. sol. matr. Si VI TEMPESTATIS ceciderunt arbores, pretium earum restituendum, esse mulieri, nec in fructum cedere, non magis, quam si thesaurus fuisset inventus. Deducitur quoque inde, quod res dotalis casu perempta, veluti tempestate, cœlique injuriâ, pereat uxori, tanquam dominæ, modo res non fuerit æstimata in dotem data, hoc enim casu dominium omninò, quasi contractâ emptione transfertur in maritum. *l. 10. pr. & §. 5. l. 16. l. 17. l. 18. ff. d. jur. dot.**

Th. LI.

Post dotem occurrit Tutela, & Cura pupillorum, & minorum, quam illi suscipere tenentur, qui vel testamento, vel juris dispositione, vel etiam ab ipsis Magistratibus ad eam destinati sunt, aut vocantur, ita tamen, ut ipsis non adimatur facultas semet excusandi, modò justa & legibus approbata excusationis causa allegari ac probari queat, *Vid. t. t. d. excus. tut.* Alleganda verò est ejusmodi causa ante cœptam administrationem intra quinquaginta dies, ex quo quis cognovit, sibi delatam esse tutelam, *l. 13. §. 1. l. 38 ff. d. t.* aliàs periculum administrationis omisissæ ad ipsum spectat. Quod si tamen quis ob necessitatem **MARIS, VEL HYEMIS, aut aliam quam similem constituto tempore non potuerit venire, ignoscendum ei esse, jubetur in l. 13. §. 7. ff. d. exc. tut.** Cæterum ex fide gerenda est tutela, sed ita, ne levissima præstetur culpa, *l. 1. pr. ff. d. tut. & rat. distr.* Multo minus igitur casum præstare debet tutor, ut si tempestate pere-

pereant res pupillares, nec ulla imputari possit tutori negligentia antecedens, *l. 4. C. d. peric. tut. l. 32. §. 1. & l. 50. ff. d. admin. tut.*

Th. LII.

Ad Testamentorum confectionem quod attinet, notum est, certas de jure civili ad testamentorum validitatem requiri solennitates, quibus non observatis, omnis illorum vis intercidit. Præcipua verò cura impendenda venit in adhibitione septem testium, qui omnes toti actui præsentés adesse debent, *l. 21. C. d. testam.* Quod si tamen casus fortuitus faciat, ut omnes simul uno actu interesse testatoris nuncupationi nequeant, nec res moram patiatur, subsistere testamentum, licet eo tempore testes sociari non potuerint, deciditur in *l. 8. C. d. t.* Hinc & si *tempestas* fortuitò ingruat, quæ conuocationem & conjunctionem testium impediat, idem dicendum esse, colligimus. Ex qua ratione porrò etiam illud, quod de testamento uno actu absque interruptione conficiendo habetur in *l. 12. C. d. test.* applicare licebit ad casum, si forte horrida *tempestas* obo-riatur, quæ actum testandi ad tempus impediat, tunc enim ex brevi temporis intervallo, reliqua solennia peragi possunt, prout Imperator in simili loquitur *l. 28. C. d. t.*

Th. LIII.

De heredis institutione conditionali quæritur, utrum is, qui sub conditione quadam heres scriptus, eandem implere paratus est, sed casu fortuito superveniente impeditur, nihilominus hereditatem capere possit? Et respondet Jctus in *l. 8. §. pn. ff. d. cond. inst.* non

videri defectum conditione, si quis parere conditioni non possit, implendam enim esse voluntatem, si potest. Ex quo Justinianus Imp. in *l. fin. C. d. condit. insert.* servum, qui liber esse jussus fuerat sub conditione, si suo heredi certum numerum solidorum præstaret, vel aliam quandem speciem, quando ex quacunque causa, dum ad heredem properat cum eo, quod isti dare jussus erat, veluti si medio latronum, vel hostium incursione (addimus *tempestatis vi*,) peremptum est, quod portabat, in libertatem nihilominus pervenire jubet, quamvis ab obligatione implendi non penitus liberetur.

Th. LIV.

Eadem dicenda sunt de legato conditionali, ita ut legataribus, qui tempestatis violentiâ conditionem implere prohibetur, legatum petere valeat, cum in quocunque facti mandato subintelligatur conditio, *si potest. cap. 41. d. Reg. Jur. in 6.* Illud adhuc circa Legatum instrumentorum notari expedit, quod habetur in *l. 12. §. 16. ff. d. instr. vel instrum. leg.* Instrumentum domus id esse, quod TEMPESTATIS *arcenda causâ* paratur, non quod voluptatis gratiâ, adeoque nec vela, quæ frigoris causâ vel umbræ in domo sunt, deberi, si domus instrumentum fuerit legatum, nisi vela sint cilicia, quæ idèò parantur, ne ædificia vento vel pluvîâ laborent, §. 17. d. l. 12.

Th. LV.

De legatis porrò & fideicommissis notum est, speciei legatum, si id sine heredis facto perierit, legatario decedere *l. 23. ff. d. V. O. l. 26. §. 1. ff. d. leg. 1.* Secus si res in genere fuerit legata, cum casus debitorem gene-

ne-

neris non liberet, *l. 30. pr. §. 3. ff. ad L. Falc.* atque hinc si res quaedam speciatim legata *tempestatis* furore interierit, heredem à præstatione ejusdem immunem esse, facile constat. Illud quoque prætereundum non est, quod in ratione Legis Falcidiae ineundae, ea, quae furto, incendio, ruina, *tempestate* aut simili casu pereunt, heredi pereant, si modò legatarii culpâ careant, & damnum hoc post mortem testatoris acciderit, *l. 30. pr. §. 1. 73. ff. ad L. Falcid.*

Th. LVI.

Sed missis his, quae de legatis & fideicommissis jam uberius dici possent, ad alia progredimur, consideraturi edictum prætoris, quod ratione novi operis extruendi is proposuit, dū nunciationem vel prohibitionem concessit contra eum, qui formam pristinam ædificii mutare intendit, illi, cujus id non fieri interest. *t. t. ff. §. C. d. N. O. N.* Licet enim unusquisque in suo pro lubitu ædificare possit *l. 24. ff. d. S. U. P. l. 8. §. 9. C. d. serv. §. aqu.* attamen non ita licet ædificare, ut ex nostro in alienum quid immittamus, veluti si projectum faciamus, per quod *tempestatis* impetus feratur in vicini aream aut ædificium, aut stillicidium eò cadat, *l. 29. §. 1. ff. ad L. Aquil. Cæpoll. d. servit. cap. 41. n. 2.* In opere enim novo tam coeli quam soli mensura facienda est, prout Jus loquitur, *l. 21. §. 2. ff. quod vi aut clam.*

Th. LVII.

Sic & ob ejusmodi protecta, sive suggrundia, quae quis in ædibus suis affixit, cautionem de damno infecto exigere à vicino concedit Prætor, quoties damnum aliquod futurum ex tali re metuitur. *l. 2. ff. d. damn. inf.*

Quod

Quod si tamen ex agro vicini arbores VI TEMPESTATIS con fractæ, in meum agrum deciderint, eo que factis vitibus meis vel segetibus noceant, vel ædificia demoliant, stipulationem istam, in qua comprehensum: *si quid arborum locive vitio acciderit, non esse utilem, ex Viviano refert Ulpianus in l. 24. §. 3. ff. d. damn. inf.* Idem Alfenus Jctus asserit in l. 43. ff. d. t. atque damni infecti nomine nihil præstari debere ait, ab illo, ex cujus ædificio tegula VENTO dejecta ceciderunt in vicini tegulas easque fregerunt, si modò tanta vis venti fuisset, ut quamvis firma ædificia convelleret. Adeoque in stipulatione: *sive quid ibi ruet, non videri sibi ruere, quod aut VENTO, aut omnino aliquâ vi extrinsecus admotâ caderet, sed quod per se concideret.* Aliud statuendum esse, si fortè ita vitiosæ fuerint meæ ædes, ut qualibet vel minima TEMPESTATE ruerint, Ulpianus scribit in l. 24. §. 10. ff. eod. Vid. Dietherr in *Continuat. Besold. Thes. pract. verb. Wind.*

Th. LIX.

Simile remedium proditum est ei, qui damnum quoddam in agro suo metuit ex aquâ pluviam, ob opus manu factum ab altero in loco privato, petiturque hac actione ut opus illud destruat. l. 1. §. 1. seqq. l. 3. §. 3. l. 18. ff. d. aqv. & aqv. pluv. Si tamen aqua pluvia non propter opus manu factum, sed ex loci naturâ, vel aliâs naturaliter noceat, denegatur actio. l. 1. §. 14. 15. d. t. Conceditur nihilominus utilis actio, si aqua fluens iter suum stercore obduxerit, & ex restagnatione superiori agro noceat, ut sinat inferior purgari, l. 2. §. 6. 7. eod. Et licet Labeo diversum probaverit, pu-

putans, naturam agri ipsam a se mutari posse, atque cum per se natura agri fuerit mutata, & quo animo unumquemque id ferre debere, sive melior, sive deterior ejus conditio facta sit: *idcirco etsi terra motu, aut TEMPESTATIS MAGNITVDINE soli causa mutata sit, neminem cogi posse, ut sinat in pristinam loci conditionem redigi: eo tamen in casu æquitatem admittere, adeoque actionem utilem dare non veretur Vlpianus d. §. 6. in fin.*

Th. LIX.

Actionibus, quæ ratione damnorum in causâ publicâ illatorum proditæ sunt, accensetur quoque actio contra Publicanos, quoties hi furtum faciendo, illicitè quicquam exigendo aut alio modo damnum dederunt, intra annum in duplum, post annum in simplum *l. 1. pr. §. 2. l. 9. §. 1. d. publ. & vectig.* E contrario verò illi, qui merces ad certa loca important exportantve, vectigal solvere conductoribus vectigalium, sive publicanis sunt obstricti *l. 7. C. eod.* Quod si factum non fuerit, res in commissum cadunt, etsi quis postea paratus sit vectigal solvere: *l. 16. §. 3. & 12. d. t.* Si tamen *propter necessitatem aduersa TEMPESTATIS expositum onus fuerit, non debere hoc commissio vindicari, Divi fratres, rescripserunt, in l. fin. §. 8. ff. d. publ.* adeoq; eum, qui TEMPESTATE in insulam deductus fuerat, non videri contra legem prohibitivam fecisse, statuit *Jctus in l. 15. ff. eod.*

§. LX.

De usuris ex pecunia mutuo data debitis illud monendum restat, quod *tempestatum* periculum causa

G

ha-

habeatur legitima ob quam quantitas usurarum auge-  
ri possit. Licet enim illis à Iustiniano Imp. in l. 26.  
C. d. usuris certus modus fuerit præscriptus, nec non  
hodie per Rec. Imperii quamplurimos usuræ ad quin-  
cunces sint reductæ, ita ut ultra istum definitum nu-  
merum nil quicquam exigere aut accipere liceat: Ad-  
mittitur tamen fœnus nauticum pro pecuniâ trajecti-  
tiâ, seu trans mare vehendâ, si creditor ejus periculum  
in se suscipiat, ut is nimirum centesimas sive gravissi-  
mas usuras stipulari queat l. 1. ff. C. d. t. Illud verò  
circa hunc nautici fœnoris stipulationem notandum,  
quod is, qui periculum navigationis in se suscepit, in-  
telligatur saltem suscipere periculum fortunæ, non  
culpæ debitoris. Hinc cum Juna pecuniam nauticam  
dederit & periculum navigii in Africam destinati su-  
sciperit, fiscus autem navem ob illicitas merces, quas  
navis continebat, occupasset, Dioclet. & Maxim. Impp.  
in l. fin. C. d. naut. fœn. gravissime his verbis rescribunt:  
*Amiffarum mercium detrimentum, quod non EX MA-  
RINÆ TEMPESTATIS DISCRIMINE, sed ex præci-  
piti avaritia & incivili debitoris audacia accidisse adse-  
veratur, adscribi tibi juris publici ratio non permittit.*

Th. LXI.

Generatim præterea in omnibus contractibus ac  
humanis actibus hoc quam maximè est notandum, non  
sufficere allegationem in redimenti ex *Tempestate* sub-  
ortæ, nisi idem etiam probetur. Hinc Ulpianus in l. 19.  
§. 1. ff. d. probat. scribit: *Cum quis promississet iudicio se  
sisti, & Reip. causa afuisse dicat, & ob id non stetisse,  
vel dolo malo adversarii factum, quo minus sisteretur,*  
vel

vel valetudinem sibi impedimento fuisse, vel TEMPE-  
 STATEM: probare eum id oportet. Qua ratione au-  
 tem & quibus mediis Tempestas probari debeat, vix  
 certa regulâ definiri potest. Sanè, si testes præstò sint,  
 eos producendos esse, definiunt Impp. in l. 3. C. d. nau-  
 frag. quemadmodum etiam quilibet casus fortuitus  
 probationem per testes admittit. l. 3. §. 7. ff. d. re milit.  
 Quod si tamen testes non adsint, stabitur juramento  
 asserentis, modò hic sit probatæ fidei & bonæ existima-  
 tionis l. 5. §. 6. ff. d. re milit. l. 15. ff. ad exhibit. l. 15. in fin.  
 ff. d. reb. aut. jud. Quin & summariam impedimenti  
 ejusmodi deductionem sufficere, docet Carpz. lib. 3.  
 Resp. 26. n. 20.

Th. LXII.

Pergimus ad dominii acquisitionem, quæ va-  
 riis modis tam juris gentium, quam civilis continge-  
 re potest. Aut enim acquiritur dominium noviter, seu  
 nemine in alterum id transferente, aut ex Domini  
 prioris voluntate, idque vel certæ personæ illud tra-  
 dendo, vel incertæ, veluti cum quid abjicitur, vel de-  
 relinquitur ea mente, ut inventorii, quisquis ille fue-  
 rit, cedat. l. 5. §. 1. ff. d. acqu. rr. dom. §. 46. tum. rer. div.  
 Necessum verò est hoc ultimo casu, ut quis habeat a-  
 nimum rem derelinquendi, qui tunc præsumitur, quan-  
 do quis extra necessitatem constitutus jactum facit, l.  
 43. §. 11. ff. d. furt. Adeoque si non spontè, sed mayo-  
 ris mali vitandi causa res suas projicit, haud quaquam  
 derelinquendi animus aderit, nec dominium istarum  
 rerum in aliam transferetur, veluti si tempestate in  
 mari subortâ navigantes navis levandæ causâ merces

projiciant, istas enim fluctibus fortè expulsi, si quis lucrandi animo auferat, furtum committere dicitur; *d. l. 43. §. II. l. 8. ff. ad L. Rhod. l. 21. §. I. ff. d. acqu. poss.* Hinc & naufragorum bona dominis esse relinquenda & fisco non deferenda, constitutum in *l. 1. C. d. naufrag. & Auth. Navigia. C. d. furt.* Quod enim jus habet fiscus in aliena calamitate, ut de re tam luctuosa compendium sectetur? Imp. Constantinus inquit in *d. l. 1. Add. Const. crim. art. 218.*

Th. LXIII.

Ad modos dominium acquirendi refertur post alios usucapio & præscriptio, quæ propterea dicitur adjectio domini per continuationem possessionis, temporis lege definiti. *l. 3. ff. d. usurp. & usucap.* Propriè tamen sic dicta præscriptio, est modus elidendi jus alienum, quo alter contra eum, à quo petit, negligenter per tempus lege definitum usus non fuit. *Struv. Jpr. for. Lib. 2. tit. 9. §. 6.* Licet verò non agens, nec jus suum exercens præscriptione excludatur, eidem tamen præscriptio non currit, si is casu quodam fortuito fuerit impeditus, *l. 5. C. quib. non objic. long. temp. præscr.* Atque hinc eum, qui tempestate arcetur, quominus in provinciam proficisci possit, si interim tempus agendi præterlabatur, minimè jure suo privari posse, nec præscriptionem eidem rorere, intrepide dicendum est. Quis enim incusare eos poterit, si hoc non fecerint, quod etsi maluerint, minimè adimplere valebant? prout Imp. loquitur *l. 1. in fin. C. d. annals*

*exc.* Th. LXIV.

Th. LXIV.

Ut sententia & res judicata effectum sortiatur, executio à judice decerni solet, per quam condemnato reo tantum ex bonis auferitur, quantum ad exsolutionem debiti sufficit. *vid. t. t. d. sent. & re jud.* Est tamen quibusdam personis beneficium competentiae tributum, per quod ea retinere possunt, quæ ipsis ad evitandam egestatem sunt necessaria, adeoque in id tantum condemnantur, quod facere possunt, *l. 19. §. 1. l. 30. ff. d. t. l. 173. d. R. J.* Inter illas personas beneficio hocce dignas meritò connumeratur & is, qui *tempestatis* calamitate in egestatem incidit. Inhumanum enim est, spoliatum fortunæ suis in solidum damnari, Justinianus edicit *§. fin. §. d. act.* Et nullibi locorum justum esse, ut is, qui in universum ex accidenti, non supinâ negligentia res suas amisisse traditus est, denuò per vim ad ignominiosam vitam transponatur, Idem gloriosissimus Imp. ait in *Nov. 135. pref. Add. Mev. levam. debit. cap. 4. n. 3. Manz. dec. 3. qu. 2. n. 45. Carpz. Asyl. debit. c. 3. §. 76. n. 39.* Necessum verò est ante omnia, ut casus iste tempestatis probetur, secundum ea, quæ supra fuerunt monita. An autem juramento hæc probatio peragi queat? disquiritur, & regulariter negatur, cum juramentum non tam sit probatio, quàm relevatio à probatione. *l. eum. qui. ff. d. jurej.* & quia ea, quæ in facto aperto consistunt, quale est damnum per tempestatem illatum, facile probari queunt, ut non opus sit, ad extraordinarium remedium confugere. *vid. D. Mühlport. Dissert. d. privik. compet. th. 37.*

Th. LXV.

Subjiciendum hic quoque paucis, quid in Appellatione operetur tempestatis violentia. Notum quippe Appellationibus certa praestituta esse fatalia, quae observare decet illos, qui ab inferioris iudicis sententiae ad superius provocant tribunal. Et ad justificationem quidem appellationis annum spatium indulgit Imp. in *l. ult. §. 4. c. d. temp. appell. Auth. ei qui. C. eod. clem. 3. d. appell.* Ipse tamen Imp. Augustus fatetur in *Nov. 49. pref.* quod plurimi illum interpellaverint, & alii ventorum immensitatem, ἀνέμων ἀμολγίαν, accusaverint, & quia navigare non licuisset de provincia, contrariis flantibus ventis: alii TEMPESTATVM acerbitatem, χειμῶνων ἀωπλίαν, alii langvorem inevitabilem &c. quibus motus Imp. eis, qui per talem quandam fortunæ circumventionem laeduntur dare praesidium voluit, adeoque secundum annum indulgit, *d. Nov. vid. Carpz. lib. 3. Resp. 26. n. 8.* ubi Responsum subjicit, in causa Hansen Wolrebens zu Hedstedt/Anno 1623. his verbis latum: Da ihr nun selbigen Termin wegen ungestrümen Gewitters mit besuchen können/ So würdet ihr aus der Eheafft / darein ihr vertheilet / wiederumb genommen / und mit euer Nothdurfft hauptsäglichen nochmals gehöret.

Th. LXVI.

Illud quoque haud praterendum, Pollicitationem, quâ quis Reip. aliquid promisit, servandam esse, indeque dari actionem contra promittentem, ob causam  
sam

fam pollicitatio facta fuerit, sine causa enim qui pro-  
misit, non erit obligatus. l. 1. §. 1. ff. d. pollicit. Ob ca-  
sum tamen, quem civitas passa est, si quis promiserit,  
se quid facturum, omninò tenetur ut D. Severus rescri-  
psit, l. 7. ff. eod. Hinc ob TERRÆ MOTVM, quæ tem-  
pestati annumeratur, vel aliquam ruinam, quæ Reip.  
contingit, si quis promiserit, eum teneri, JGtus scri-  
bit, l. 4. d. t. 2. cap. 1. d. 1. §. 1. d. 1. §. 1. d. 1. §. 1.

Th. LXVII.

Restat ut & quædam de Tempestatibus ratione  
delictorum dicamus. Ibi primò se nobis offerunt,  
Strygæ Lamiaæ & Incantatrices, quæ Tempestates, toni-  
trua ac fulmina procreare posse creduntur, & ob id  
vulgò audiunt, Wettermacherinnen. Equidem an  
Veneficæ istæ suis carminibus & incantationibus tem-  
pestates ciere, ventos ac tonitrua procreare & similia  
horrenda afficere queant? Inter eruditos controverti-  
tur. Pro affirmativa sententia sequentia produci so-  
lent, argumenta (1) Quod exempla quam plurima ex-  
tent, quibus luculenter ostendi potest sagas & lamias,  
diabolo cooperante produxisse ventos fulgura ac hor-  
renda tonitrua ob quod etiam Diabolus vocatur Prin-  
ceps potestatis aeris. Ephef. 2. v. 2. & comprobat exem-  
plum Jobi. cap. 1. v. 16. quale & quantum damnum  
Diabolus per ignem à coelo delapsum, per turbines ac  
grandines intulerit jumentis ac ædibus. Vid. præte-  
rea Mart. Delrio. *disqu. magic. lib. 2. qu. 11.* (2) Quod  
ipse Deus justissimus judex, jam dudum sententiam tu-  
lerit in maleficos ejusmodi, Pythones, sagas & incan-

tatores, ut nimirum è medio tolli debeant, nec vivere ipsis sit permittendum. *Exod. 22. vers. 18. Deut. 18. v. 10.* Ex quo sequitur, quod damnum, cujus ratione pœna illis infligitur, ab ipsis verè processerit hisque solis imputari possit, cum aliàs innocentes luerent supplicium, quod valdè foret iniquum. Quin & (3) si quis potentiam istam dæmoni denegare vellet, is divino verbo contradicere videretur, *Job. 41. v. 24.* vbi ipse Deus de Satana dicit: *Non est potentia super terram, que cum ea comparetur.* Denique (4) negari nequit ex causis quoque naturalibus, veluti pulvere pyrio, produci posse horrendos effectus, tonitrua atque fulgura, quæ harum rerum ignari supra naturam esse existimant, quidni igitur Princeps aëris, atque ejus ope Stryges, similes tempestatum species efficere possent, ac per illas hominibus pecoribusque nocere!

Th. LXIIX.

Ast verò re accuratius pensatâ, asserere haud veremur, nec dæmones, nec horum ministros, per se habere potestatem turbandi aërem, ac ciendi tempestates. Nam (1) in solius Numinis omnipotenti manu est, producere tempestates, id quod ipse Deus affirmat *Job. 38. v. 28.* *Quis est, inquiens, pluvia pater? vel quis genuit stillas roris? De cujus utero egressa est glacies? Et gelu de cælo quis genuit? antea verò dixerit, se preparasse thesauros nivis Et grandinis.* Ecquis igitur tam impius esset, qui opus aliquod soli Deo tribuendum, diabolo ejusve affectis adscriberet? Quin & si talia opera producere potis esset Diabolus, non dubium

bium est, illum flammis fluctibusve in hominum bona esse irrupturum, multa variaque mala iisdem immisurum, totumque humanum genus everfurum. Expressè præterea divina oracula testantur, Deum O. M. esse tempestatum auctorem & motorem. Ita enim apud Jeremiam legimus *cap. 10, v. 23. Ad vocem suam dat multitudinem aquarum de cælo: fulgura in pluviam facit & educit ventum de thesauris suis.* Et apud *Job. cap. 28, v. 26. Deum viam dare procellis sonantibus,* nec non *cap. 38, v. 25. Illum dare vehementissimum imbri cursum, & viam sonantis tonitru: reservasse thesauros grandinis in tempus hostis, in diem pugna & belli, d. c. v. 23.* Confer. *Exod. c. 9, v. 22, 23. 1. Sam. 7, v. 10. seqq. Jos. 10, v. 11.* Denique tempestates rectè annumerantur malis, quæ hominum iniquitates puniuntur: Jam vero juxta effatum *Amos, 3, v. 6.* non est malum in civitate, quod Dominus non fecerit, unde tempestas dux pædagogicus ad Christum, nec non index viæ divinæ, peccatorumve vindex dicitur *Danhauer, Tom. 2. Theol. consc. p. 407.*

Th. LXIX.

Vt autem rationibus in contrarium antea allatis satisfiat, respondemus ad (1) Diabolum quidem vocari Principem aëris, non quasi is aërem condiderit, aut pro lubitu turbet commoveatque, sed quia Deus opera illius ad puniendos homines utitur, & sic Dei permisso agit, aut quia principatum quendam in aëre sibi arrogat, quem tamen verus aeris Dominus ipsi non concedit. Id quod *Luculentius* ex allato *Jobi* exemplo

comprobatur, cum ipse Dominus *cap. 1. & 2.* afferat, se dedisse Satanæ omnia in manum suam, & Assaph *Psal. 78. v. 48. seq.* testatur, quod Dominus jumenta Israelitarum (qua de re agitur *Exod. 9. v. 6.*) grandini dederit & ad hoc immiserit angelos malos. Hinc & Cæsalpinus apud Delrio *Disqu. Mag. lib. 2. qu. 11.* refert, ipsas lamias factas fuisse, se lædere non posse quoscunque vellent, sed eos tantum, quos Deus dereliquisset. Ad (2) Resp. Ex eo quod Deus veneficos occidi & extirpari jus sit, non rectè inferitur, ipsas posse tempestates per se aut ope dæmonis ciere: Sed pœna contra illas ideò constituta est, quod societatem cum dæmone contraxerunt, fœdus in baptismo cum Deo omnipotente initum abjurarunt atque Diaboli obsequio perpetuo sese manciparunt. Adeoque licet multa, quæ lamia cooperante Satana supra naturæ vires facere videntur, nil aliud sint, quam sensuum ludificationes, præstigia ac figmenta, cum tamen firmiter sibi perspasum habeant, omnia quæ fiunt, ex ipsarum damnata arte procedere, & hinc quoad effectum nil quicquam in voluntate ipsarum desideratur, nemo non easdem mortis supplicio dignas judicat. Vid. Carpz. *Pract. crim. p. 1. qu. 48. n. 47.* Damhoud. *Prax. crim. cap. 61. n. 109.* Gödelman. *d. mag. venef. & lam. lib. 1. cap. 9. n. 2.* Fichard. *Conf. germ. 116. n. 2.* Balduin. *Cas. conf. lib. 3. cap. 5. cas. 13.* Ad (3) Resp. Agnoscimus quidem potestatem Satanæ, non tamen absolutam, sed ita limitatam, ut citra Dei permissum ne pediculum quidem producere, nec in porcos grassari valeat *Exod. 8. v. 18. & Matth. 8. v. 31.* Ad (4) Resp. Homines ex causis phy-

physicis horrendos effectus producere posse concedi-  
 mus, nec ignoramus, Diabolum quoque variis adhibi-  
 tis mediis Magos præstigia sua docere: Sed quemad-  
 modum ipsi homines perfectionis suæ defectum haud  
 raro produnt, ita Dæmon mirum sæpe in modum hal-  
 lucinatur, ita ut qui curatius paulò ad rem attendit,  
 fraudem facilè cognoscat. Persvadet quidem Sagis,  
 ac si adhibitis certis verbis, imprecationibus, circulis  
 & characteribus fulgura excitare, aerem turbare, ven-  
 tos ciere possint, sed eum saltem in finem, ut hac ratione  
 istas in societatem alliciat, & in æternum exitium se-  
 cum præcipitet. Nec enim tempestates *aitiaticas*, tan-  
 quam effectus causas, nec physicà quadam coheren-  
 tiâ, sicut nubeculam ex mari exaltatam pluvia. *I Reg.*  
*18. v. 41.* vel matutinum ruborem imber *Matt. 16. v. 3.*  
 Sed verè per accidens sequuntur, uti monacho profi-  
 ciscente pluit. Vid. Scalig. *lib. 16. d. subtilit. ex. 349.* Danhaur  
*in Theolog. Consc. tom. post. p. 456.* Plura qui hac de re le-  
 gere desiderat, adeat Wierum *d. præstig. Dæmon. lib. 3.*  
*c. 16.* Olaurum *M. Histor. Septentr. lib. 3. c. 16.* Victorium  
*lib. 19. variar. lect. cap. 21.* Remigium *lib. 1. Dæmonol.*  
*cap. 25.* Delrio *lib. 2. Disqu. Mag. qu. II.* Casp. Schottum  
*Phys. curios. lib. 1. cap. 34.*

Th. LXX.

Inter delicta omni jure refertur quoque Injuria<sup>9</sup>  
 quæ juxta legum civilium quidem constitutionem,  
 privatis delictis accensetur, *l. 7. §. 1. ff. d. injur.* adeo-  
 que ille, cujus existimatio per injurias læsus fuit, inde  
 apud Magistratum experitur, ut reus ad id, quod ejus

intèrest, condemnetur B. Struv. *Ex. 48. tb. 13.* Potest tamen etiam quis ex tali delicto commissio criminaliter agere, ad pœnam sc. corporis afflictivam, aut multam fisco inferendam, *l. f. d. priv. delict. §. ult. f. d. injur.* Quibus modis injuria inferatur, apud DD. hinc inde videri potest: Vtrum verò Injuria etiam per Imprecationem committatur? disquiri solet. Affirmativam post alios defendit Berlich. *p. 5. Concl. 59. n. 22.* Id quod verum esse putamus, si talis imprecatio in opprobrium alterius cedat, veluti si quis malam crucem, aut patibulum imprecetur, aut ut rotæ imponatur optet, hac enim ratione imprecans istum simul pro homine facinoroso reputat, qui supplicio tali dignus sit. Quid autem si quispiam pessimo voto, ut alter malâ tempestate pereat, optet, wenn er einen den Donner und den Hagel an den Hals wünschet? Non sine existimationis læsione & talem execrationem fieri, persuasum nobis est, atque hinc similiter actioni injuriarum locum esse putamus. Quin & tali casu judicem ad Inquisitionem procedere, atque Imprecanti pœnam arbitrariam infligere posse, certum est, cum de restandis ejusmodi imprecationibus honor Dei violetur, societas humana turbetur, atque scandalum aliis præbeatur haud minimum, quod nunquam impunè feret sceleratus maledictor, nec pius Magistratus multum transmittet. Hinc ab Illustri Facultate Jenensi haud ita pridem tali in casu fastigatio dictata fuit, ad requisit. C. F. zur Neustadt an der Heyde/hilce formalibus: Hat ermeldter V. R. gut

gutwillig gestanden und bekennet / daß er  
 den Fürstl. Ambs-Verwalter zu Neuhaus  
 H. B. als derselbe eine abgepfändete Ket-  
 te von Ihm abfordern lassen / gegen den  
 Landknecht hefftig geschmähet / Ihn einen  
 tausendsacramentischen Schelm / Lügner  
 und Ehebrecher gescholten / auch gewünschet /  
 daß Ihn der Donner / Blitz / Schwefel  
 und alle Kiesel dreyßig hundert tausend  
 Klafter tieff in Erdboden hinein schlagen  
 sollen / ꝛ. So ist Inquisit dieser ausgesto-  
 senen Lästereien / Fluchens und anderen  
 gottlosen Reden halber mit Staupenschlä-  
 gen des Landes ewig zu verwei-  
 sen. ꝛ.

T A N T V M.